

CVIII. De uerbis impersonalibus.

[1] 246. Verbum impersonale passiuae uocis significationisque saltem terminatione tertiae est personae, quoniam autem persona non discernit, impersonale dicitur. Indifferenter enim primae, secundae tertiaque personae potest adiungi, ut *curritur a me, a te, ab illo*. *Doctrinale* in VI^o (6, 690):

«Passiui ternis impersonale locabis»,
et ibi commentatores probant.

[2] 247. Impersonale tale suae prope cuiusdam significationis est. Et uel ab actiuis neutris actiuam uel absolutam uim habentibus nasci solet, ut *amatur, placetur, curritur*. Non autem a uerbis imperfectis nec anormalis, nisi ab his duobus *edo* et *fero*, nec a defectiuis, ut *odi, noui, coepi, memini, ait, inquit* et *infir*, *ædo* et *quaeso, aue saluaeque*. (2) Nec a passiuus, communibus, deponentibus, nisi ab uno *misereor, miseret*, sed magis hoc quoque a *misereor* prouenit, quod uetustissimi pro *misereor* proferebant, nec a neutropassiuus, ut *gaudeo, soleo, audeo, fido, fio*, licet et ab horum aliquibus quandoque uenire sit compertum. (3) Nec a uerbis exemptae actionis, ut *fluit, tonat, fulminat*, nec a uerbis passionem ignatam significantibus, ut *palleo, rubeo*, nec a uerbis passionis illatae, ut *exulo, uapulo, ueneo, fio*. Nec ab hoc uerbo *facio*, cum omnibus suis compositis etiam passiuum recipientibus, ut *benefacio, calefacio, tepefacio, madefacio*. Vnde dici non potest *a me benefacitur, a me tepefacitur*. (4) Huic regulae Priscianus VIII^o maioris (8, 63), ubi de modis, et ibi Petrus Heliae et alii exponentes. Et *Catholicon* in 3^a parte, in capitulo *De uerbis impersonalibus*, in principio, testes sunt egregii.

[3] 248. Impersonale uerbum non unus modus uerbi est, sed unum uerbum per se, sicut frequentatiuum et inchoatiuum uerbum, unde et omnes suos modos habet, ut et alia uerba. (2) Nicolaus uero Perottus in quinti ordinis impersonalibus, sic ait (fol. i3u.): «Quae sunt impersonalia quinti ordinis? Quae si infinitiuis uerbis personalium iunguntur, personalia sunt. Si uero infinitiuis impersonalium, impersonalia, ut *institutum uitae tuae incipit mihi placere, et incipit me poenitere laboris mei. Incipit, desinit, debet, solet* possunt esse impersonalia. Supradicta uerba quando absolute, hoc est cum solo infinitiuo iunguntur, ut *solet deluescere, aduesperascere debet, aduesperat, incipit stari, desinit amari*».

[4] 249. Impersonale terminationis passiuae generis est neutri, quippe cum nec actiuae nec passiuae significare uideatur. Nec officit si dicatur quod si generis neutri esset, in *-o* terminaretur, et ex se passiuum non faceret, id quod de huiusmodi uerbo dici non potest. Ad hoc detur solutio: illud in uerbis integris habere locum, inter quae impersonale tale connumerari non potest.

[5] 250. Haec impersonalia actionem significant absolutam, ut *legitur a me*, id est ego lego, ut eundem actum *legitur*, quem *lego* significet. Sed *lego* ipsum actum transitiuè significare potest, ut *lego Virgilium; legitur* uero solummodo absolutum. Non enim dicitur *legitur a me Virgilium*. Ex resolutione tamen quandam passionem notant. Et ideo uocem passiuam habent. (2) Confirmatio regulae 246 et 248 et 249 a Petro Heliae in VIII^o, ubi de impersonalibus peti potest. Huius autem regulae ab eodem 2^o minoris, ante cartam antepenultimam, ubi consequenter quaerit (Reilly 970): «Quare impersonale praecedentis uerbi constructionem in omnibus obliquis praeterquam in accusatiuo sequitur. Nam et *abstineo* et *abstinetur irarum* dicitur; *do* et *datur illi; gaudeo* et *gaudetur isto*. (3) Quare non similiter *amo illum* et *a me amatur illum*? Solutio est quia, teste Prisciano, impersonale absolutam actionem significat, illa uero quae ad accusatiuum fit, absoluta non est».

[6] Sciendum autem quosdam dicere impersonalia rem uerbi signare sub modo fieri, quod est perspicuum, cum dicitur *legitur*, id est lectio fit. Lectio enim rem uerbi et ita ipsum fieri significat. (2) Alii dicunt quod totum hoc *legitur*, id est lectio fit, dupliciter considerari possit: primo modo per enunciandi modum, eo quod fieri de re uerbi enunciat; secundo modo eo quod intellectus pro quodam constituatur actu et actum quandam indeterminate significet. Et quoad hoc dicunt impersonalia cum accusatiuo posse coniungi. Sed ex hac opinione sequitur inconueniens. Sic enim personale ad illa duo a se significata esset equiuocum. (3) Tertia est opinio quod secundum Priscianum impersonalia plenum notent actum (17, 68). Notandum autem quod tam personalia quam impersonalia passiuae uocis ad substantiam agentem et supponentem comparantur. Differenter tamen quia personalia ad substantiam

ut ad supponentem, et ideo cum nominatio a parte ante construuntur. (4) Comparantur etiam ad substantiam agentem, sed non ut agentem, nec per modum agentis. Et tunc cum ablatiuo a parte ante minime coeunt, ut *ego diligo a te*. Impersonalia uero ad substantiam agentem, ut agentem et ad supponentem, sed non ut supponentem. Ideoque cum ablatiuo a parte ante, sed non cum nominatio copulantur. Tunc enim personalia uiderentur. (5) Ex his communis clarescit opinio, quod impersonalia passiuae uocis actionem ab alio illatam, id est per modum passionis, significant. Ideoque significatum considerando bene dicitur in catalanae linguae expositione seu per eam interpretationem, id est, in romancio, ut uulgari sermone utar: *legitur*, id est *hom lig*, actiue contemplando tantum. At secundum significandi modum optime dicitur *legitur*, id est *es legit*, passiuae. (6) Vnde quidam putant quod haec impersonalia, dum accusatio coniunguntur, hunc sensum habere debent: *legitur*, id est *hom lig*, sed in quantum ablatiuo coeunt, hunc *legitur*, id est *es legit*. Enimuero quicquid dicatur suus proprius sensus est *legitur*, id est *legit es*. (7) Haec igitur uerba significant actionem, licet terminentur in *-r*. Haec enim terminatio signum passionis significandae non est sufficiens. Multa nanque in *-r* desinentia, ut communia deponentiaque, non passionem sed actionem notant. Nec propter constructionis modum, qui pro more passiuorum fit, eo quod cum ablatiuo construuntur, passionem significare putari debent. (8) *Audio* nanque, *disco*, *suscipio*, *accipio*, mediante *a* uel *ab* ablatiuum regunt, attamen actionem, non passionem dicunt. Sufficit ut hanc per modum passionis significant. Verum Priscianus intelligit actum plenum significari, id est absolutum, quem uerba neutra significant et in res suorum uerborum resoluuntur, ut *legitur*, id est lectio fit, *curritur*, id est cursus fit.

[7] Hic quaeri potest an congrue dicatur *legitur Matheum*. Videtur quod non, propter antedicta Prisciani Petrique Heliae auctoritate confirmata. Praesertim quod Priscianus nunquam constructionem talem posuit. Videbat enim talia actum significare absolutum. Et ob id illam constructionem habere non possent. Vnde licet dicatur *legitur a me*, id est ego lego, non tamen diceretur *ego lego Virgilium*. (2) Deinde ea in quae fit resolutio cum accusatio construi non possunt, ergo nec resoluta omne nanque impersonale uerbum in rem uerbi sui resoluitur, ut *legitur*, id est lectio fit, sed totum hoc *lectio fit* cum accusatio non construitur. Tandem Augustinus dicit quod haec actum absolutum signent, ergo secundum eum cum accusatio construi non possunt. Pars autem contraria uerior est habenda. (3) Primum *Doctrinalis* auctoritate in octauo, in accusatiui regimini, confirmatur (8, 1.262-64):

«Quae sine persona sunt atque gerundia iungis

Si tamen a uerbo quod transeat, ista creabis:

Matheum legitur, Psalmos erat ante legendum».

(4) Deinde passiuae uocis impersonalia a uerbis transitiuis descendunt instar impersonalium uocis actiuae uerborum constructionem, a quibus descendunt, retinere debent, sed *lego* cum accusatio a parte post congrue construitur. Ergo et *legitur* ab eo descendens. Item uerba quae actum per modum passionis significant, cum accusatio a parte post congrue ordinantur, ut *audio a te lectionem*. Haec impersonalia sunt huiusmodi igitur et cetera. (5) Deinceps comparatiuus et superlatiuus constructionem positui sui praeter propriam retinent, quia et eius significatum habent. Itidem de his impersonalibus suorum uerborum significatum retinentibus est dicendum. Insuper impersonalia a uerbis cum datiuo construendis descendunt eadem constructionem sortiuntur, ut *placet tibi*, *placet mihi*, et sic de multis aliis. Quare et haec suorum uerborum naturam sequuntur, quam enim naturam uerbum habet, eandem totum eius condeclinatum habere debet. (6) Tandem participium a uerbo descendens eius constructionem seruat, licet aliquam partem nominis capiat. Adeo ut gratia substantiae uerbo reddat suppositum gratiaque actus a parte post cum obliquis construatur, ut *legens lectionem disputat*, ergo eadem ratione haec impersonalia uerborum priorum constructionem tenere debent. (7) Pro contrariorum argumentorum solutione praenotandum est quid uerbum impersonale significet, unde actiuum per modum agentis facere significat, passiuum autem agentis fieri. Cum igitur impersonale uerbum utriusque naturam notet, quia agentis ab actiuo, patientis a passiuo, merito utriusque constructionem poterit retinere. Et hoc per simile probari potest. (8) Sicut enim uerbum actiuum duas expositiones habet, ut *lego lectionem*, id est ago uel lego, id est ibi dico me legere, sic *legitur*, id est lectio fit uel legitur a me, id est ego lego. Et ita hoc modo uerba impersonalia cum accusatio construuntur. (9) Ex his ad contraria pefacile est responsu. Licet enim impersonalia actum plenum, id est absolutum, signent, tamen has duas resolutiones habent, ut *legitur a me*, id est ego lego, uel *legitur*, id est lectio fit. Omnis enim passiuus constructio resoluitur in actiuam. Itaque gratia illius resolutionis quae respectiua est, cum accusatio copulari possunt. Non autem gratia eius quae absoluta est. (10) Cum autem de absoluta fiat

obiectio, haec res nullius momenti facienda est. Deinde non obstat quod per quam naturam instar passiuorum construantur, in actiuorum more construi non possint. Hoc enim ualeret si duplex natura seu habitudo illis non esset. Item impedimentum non affert, quod Priscianus de hac constructione mentionem non fecerit. Licet enim specialiter non posuerit, tamen generaliter hoc scripsit quando dixit (17, 63): «Cum quocunque casu prima uerbi construitur impositio, cum eodem totum eius condeclinium». Et ita in hac mentione generali specialis illa comprahenditur. (11) Et hanc affirmatiuam partem omnis *Doctrinalis* glosatores in hac lectione tenent, inter quos Ioannem de Crocho plene hunc articulum disputantem non omittas.

[8] 251. Impersonale terminationis passivae eiusdem coniugationis est cuius est uerbum a quo descendit, ut Petrus Heliae in 8^o (Reilly 527), ubi supra, uersiculo *Si rursus quaeratur cuius coniugationis est*, tenet expresse.

CIX. De differentia inter infinitiuum impersonale uerbi uocis passivae infinitiuumque passiuum.

[1] 252. Inter infinitiuum impersonale uerbi uocis passivae infinitiuumque passiuum magni refert. Infinitiuus enim prior non solum uerbo, sed et ablatiuo casu per se absque accusatiuo indiget, ut *amari a me uolo*, pro *amare uolo*. Nec abs re *absque accusatiuo* dixi, nam si accusatiuus adderetur, infinitiuum passiuum intelligeres, ut *a me filium amari uolo*. Accusatiuus quoque non nunquam non positus subauditur, ut *doceri a te uolo* et *me* subaudio. (2) Infinitiuus autem passiuus ad perfectam significationem uerbi solius eget, ut *amari uolo*. Infinita uero nominata sunt, eo quod significatione definita tam personarum quam numerorum carent, sicut et nomina neutra uocantur, propterea quod generis utriusque egent, ut Priscianus in octauo circa finem doctrinae temporum edocet (8, 50). (3) Est et alia differentia quod infinitiuus uerbi impersonalis cum accusatiuo non construitur, quem infinitiuus uerbi passiuum petit. Considerandum igitur utrum ablatiuus ille casum efficientem uel aliam denotet. Nam si efficientem, *a* uel *ab* praepositio debet adiungi, ut *uolo diligere a uiro bono*. (4) Sin autem aliam, ut materialem uel quae non fuerit efficiens, addi non debet praepositio, ut *baculo uerberari nolo, tu uis spoliari praeda*. Nam si *a baculo* uel *a praeda* dixerim, ut causa notaretur efficiens, conuerti posset locutio, et ita diceretur: *nolo ut baculus uerberet me* et *uis ut te praeda spoliet*. (5) Ad haec confirmanda uel Priscianum 2^o minoris, § *Infinitiuua uero*, sic dicentem adduco (18, 57): «Infinitiuua uero impersonalium necesse est ut ablatiuum pronominis uel nominis uel participii ad perfectam significationem assumant, ut *stari a me uolo* pro *uolo stare*, et *curri a te uis*, pro *currere uis*, *sedere a se uult*, pro *sedere uult*. Nam passiuua non eget ablatiuo nisi sint transitiuua, ut *legere uolo*. Hic passiuum est intransitiue dictum. Sin dicam *legere a me uolo*, similiter intransitiue. (6) Actiuua enim habet significationem, et est infinitum impersonale, nam pro *legere uolo* accipitur. Sin autem transitiuue proferatur, id est ut ab alia ad aliam personam passio significetur, etiam si ablatiuo adiungatur, passiuum est infinitum, ut *doceri a me cupis, amari a te cupia*. Hanc autem constructionem seruant etiam reciproca, id est sui passiones, ut *amari a me ipso debeo, uituperari a te ipso debes*, et similia. (7) Possumus et impersonale simili modo proferentes dicere *amari a me uis*, pro *amare me uis*, de quibus iam diximus. Sed hoc quoque interest quod infinitiuum impersonale in infinitum resoluitur actiuum, ut *amari a me uolo*, pro *amare me uolo*, quomodo *ambulari a me uolo*, pro *ambulare uolo*. Sin autem significatione passiuua proferatur, necesse est etiam accusatiuum subaudire, ut *amari a me uolo illum*, pro *amare me uolo illum*».

[2] Petrus Heliae haec confirmans aliqua adiciens primum in octauo super hac dicit materia (Reilly 516): «Sciendum quod infinitiuus impersonalis illius, quod deriuatur a uerbo actiuo, possit discerni ab infinitiuo passiuo eiusdem actiuo, cum uox sit prorsus eadem, ut *amari* impersonale et *amari* passiuum. (2) Est ergo haec differentia: quod ubicunque ponitur infinitiuum tale sine aliquo obliquo, ut *uolo amari* uel cum duobus obliquis, ut *uolo istum amari a me* uel cum eo solo casu obliquo quem exigit uerbum actiuum, ut *uolo illum amari*, tunc sine dubio passiuum est. Vbi autem ponitur cum solo ablatiuo, addita praepositione, ut *uolo amari ab ista*, tunc secundum intentionem loquentis potest esse et passiuum et impersonale. (3) Si enim subauditur accusatiuum *me*, passiuum est. Et est sensus *uolo ut amor ab ista*. Videtur tamen quod cum dicitur *uolo amari*, possit haberi sensus impersonalis, si hoc modo subintelligatur: *uolo amari*, id est ut ametur. Magis tamen proprie, cum simpliciter dicitur *uolo amari*, passivae accipitur». (4) Idem paulo post, dans causam quare dicuntur infinita secundum Priscianum, subdit: «Dicuntur infinita quia nec numeros nec personas diffiniunt. Quaeritur autem cur illa dicantur impersonalia et non similiter infinita appellentur impersonalia? Et puto quia cum impersonalia uerba

habeant terminationem tertiae personae, ne personalia possint uideri, immo dicat sunt impersonalia, ut ipsa nominis ratio negaret ea diffinire personas, quod facere uidetur terminatio. (5) Verba autem infinita non habent terminationem, ob quam uideantur alicuius personae ideoque non oportuit illa, sicut et quae praedicta sunt, appellari impersonalia. Dicat autem sunt merito infinita, ut quia in constructione semper ponuntur cum uerbis finitarum personarum et numerorum, unde facile uidentur personas et numeros diffinire. (6) Verbum autem impersonale frequenter per se et sine illius personalis additione ponitur in constructione, ut ibi (*Doctrinale* 8, 1.246):

"Curritur ad uocem iucundam et carmen amicae".

Ideoque non indiguit eis, sed infinita dicentur. Sed ne iterum uideantur mirum, quod hoc nomen infinitum ex carentia dictum sit, ostendit hoc non esse mirandum per hoc nomen neutrum, quod dictum est ex masculini generis et feminin abnegatione».

[3] Idem 2^o minoris, carta antepenultima, capitulo *Quaeritur autem quae sit differentia*, et cetera (Helias 18 = Reilly 1.045): «Quaeritur quae sit differentia inter constructionem impersonalis ad ablatiuum et constructionem passiuum ad eundem. Et ea est maxime, quia impersonale cum ablatiuo intransitiue construitur, passiuum uero transitiue. Cum enim dicitur *legitur a me* actum legendi intransitiue mihi attribuo. (2) Sed cum dico *Virgilius legitur a me*, iam non actum significo per *legitur* sed passionem. Et ea non mihi sed Virgilio attribuitur, a me autem uenit in ipsum. Ideo a me transitio est, ad eum uero intransitio». Ex his omnibus regula sequens breuissima secundum *Doctrinale* potest inferri.

[4] 253 igitur regula est. Verbum infinitiui modi per naturam propriam a parte ante cum accusatiuo sociatur, ita quod accusatiuus ipse ex ui naturae talis modi gubernetur. Ab hac tamen regula infinitiuus impersonalis uerbi excipitur. Et sic inter infinitiuum uerbi passiuum uerbique impersonalis, quamuis eandem uocem habeant, patet differentia. (2) Infinitiuis enim uerbi passiuum cum accusatiuo a parte ante construitur, ut *me doceri a te cupio*, non autem infinitiuus impersonalis uerbi. Et causa est quia nullum uerbum diuersa supposita sub diuersis casibus importata potest admittere. Vnde cum impersonale tale cum ablatiuo mediante *a* uel *ab* a parte ante et intransitiue construatur, ut passiuua uerba transitiue, a parte post infinitiuus impersonalis huiusmodi pro supposito accusatiuum fungit. (3) Causa uero constructionis infinitiui personalis uerbi cum accusatiuo, sed a parte ante, est quod infinitiuus iste inclinationem infinitam habet ad substantiam, sed hanc a parte ante quidem. Ideoque suppositum conueniens conformequae exposcit. Accusatiuus autem propter diuersas habitudines, ut quam, per quam et ad quam, infinitus est. Itaque sicut uerbum infinitum suppositum finitum a parte ante poscit, sic infinitiuus suppositum infinitum. (4) Quidam dicunt quod infinitiuus inclinationem infinitam ad substantiam non modo ratione suppositi, sed et ratione termini possideat. Accusatiuus autem terminum dicit principaliter, et ad hoc inuentus sit. Ideo a parte post in ratione termini et a parte ante in ratione suppositi cum infinitiuo construitur. (5) Alii tenent quod sicut est in essendi modis, sic et significandi. Significare nanque est rei prout est intellectum constituere, sed in intelligendi modis ita sit, quod in infinitiuo semper intelligatur accusatiuus, quippecum *legere* nihil aliud sit quam legentem esse. Vnde Philosophus libro *Perihermeneias*¹ ait (Arist. *Peri Herm.* 17a35): «Nihil refert hominem ambulare et ambulantiem esse». Cum igitur sit in modis essendi intelligendique ipsius infinitiui, ut accusatiuus intelligatur ibi semper, sic et in significandi modis erit, ut semper cum eo construatur. (6) Sunt et alii qui putant quod infinitiuus per modum ut illum, accusatiuus autem per modum ut quem significat. Hoc autem non uidetur dici posse. Modus enim ut illius, ut illi, ut illum potius modi obliquorum quam uerborum sunt. Ideo dici potest quod modus iste dicat modum dependentis ad terminum ut quem et a parte ante et a parte post. Sed unde talem modum habet? (7) Robertus ait: «Ex hoc quod intellectus, qui est operans constructionem talem actum uel pati per uerbum importatum apprehendat, id uerbum inclinando ad suppositum. Differentiter tamen quia uerbi personalis actum ad suppositum nominatiue, ut modo finiti, cum recto debita sit proportio uel numeri simul et personae, sed actum infinitiui modi ad suppositum accusatiue importatum, ut sit inter illos proportio. Infinitiuis enim modus in numero et persona confusus est. Ideoque accusatiuum in quolibet numero respicit et persona». (8) Et hoc Robertus per exemplum naturale declarat. Nam si lapis cadens per aliquas lineas limitetur, recte cadere compelletur, sin autem per aliquid non fiat limitatio, locum determinatum non respicit. Nec ab hoc Petri Heliae abhorret sententia disserentis quod uerbum personale nominatiuum sub debito numero personaque repositat. Infinitiuis uero solum substantiam respicit in quam in ratione termini se

¹ Glossa: Id est *De interpretatione*, a *peri* quod est *de* et *hermene* quod est *interpretari*.

habentem se collocare possit. Cuius naturae accusatius est. (9) Modus autem per quem infinitiuus accusatiuum exigit est quia nominatiuus et accusatiuus modum naturamque habent oppositam, nisi quod in ratione suppositi conuenire possunt, sed cum quadam differentia, quia personale uerbum nominatiuum requirit, sed infinitiuus, cum careat numero et persona, suppositum per obliquum poscit. Hoc est, cum accusatiuum significet infinite, substantiam in quam se ponat fundeturque reposcit. Hanc autem accusatiuus importat. (10) Augustinus autem dicit quod accusatiuus est terminus actus motusue per uerbum importati. Sub his tamen condicionibus, ut quia non simpliciter coniunctus sit, alioquin ab ipso actu uel motu se alterutrius termino separari non posset. Nec est dubium eum ipsum separari posse. Omnis enim actio potest absoluta esse, Prisciano auctore Petroque Heliae. Item ut nec simpliciter separatus sit. Tunc enim cum uerbo coniungi non posset. (11) Similiter a parte ante cum infinitiuo se habet in ratione suppositi, non tamen ut simpliciter separatus, et ita potest coniungi, nec ut simpliciter coniunctus. Et sic quandoque separatur. Hoc etiam Petrus Heliae refert, quod infinitiuus ratione modalitatis et infinitatis quandoque absoluitur, nec substantiam a qua dicitur, respicit, sed duntaxat se in ratione habet, ut cui aliquid attribuitur possitque supponere, ut *inambulare est sanum*, id est ipsa inambulatio sana est, et *seruire deo est utilissimum*. (12) Causa uero propter quam infinitiuus impersonalis uerbi cum accusatiuo a parte ante, sicut infinitiui alii, non construitur, dari potest: quod is a comparatione ad substantiam a parte ante, sicut uerbum impersonale, prorsus priuatus sit. Et ideo nec cum accusatiuo nec cum alio casu a parte ante constructionem admittat. (13) Sic Ioannes de Crocchio VIII^o *Doctrinalis* capitulo, in lectione *accusatiui regimen*, cum multis ex antedictis refert. Ceterum puto hanc rationem per antedicta, praesertim in 245 regula sustineri posse. Qua de re ratio in huius regulae principio assignata multo uerior est dicenda. (14) Sed et haec generalior dari potest: quod infinitiuus impersonalis uerbi non habet, ut infinitiuus uerbi personalis, inclinationem infinitam ad substantiam a parte ante nec modum dependentis ad terminum ut quem, sed iuxta sui uerbi naturam inclinationem habet et ad aliquem ex obliquis dependentiam. Et non modo a parte post sed et a parte ante proprii uerbi regimen constructionem sortitur, ut *credo regis interesse iusticiam peramare, crede mea interesse uel referre, multis benefacere, gaudeo tibi placere iuuare probos, gratias ago deo multos taedere turpitudinis et facinorum poenitere pudereque prauorum, exulto me delectare studere sapientiae, percipio a me amari colique uirtutes*. (15) Vnde et Nicolaus Perottus in capitulo de infinitis ait (fol. i3u.): «Infinita uero impersonalia et ante et post casus suorum uerborum exigunt, ut *gaudeo tibi accidisse erudiri, laetor te iuuare uirtuti incumbere, doleo te non poenitere uiciorum*».

[5] 254. Infinitiui omnis prorsus a parte post suorum uerborum constructionem obseruant: *abstineo irarum, laetor uos quoque irarum abstinere; noceo malis, expeto nocere malis; iuuo bonos, gaudeo iuuare bonos; utere iustis, noli frui sed uti uictoria; te misereat errantium, supplico deum miserere mei peccatoris; suadeo a te uirtutem coli*. Vsqueadeo ut si uerba duos accusatiuos post se regnat, eosdem infinita gubernauerint. (2) Ad harum duarum regularum confirmationem Priscianus secundum allegata 2^o minoris facit, ubi circa medium, § *Infinita uero uerbi sui*, sic ait (18, 57): «Infinita uero uerbi sui constructionem ad casus seruant, ut *misereor tui, misereri tui uolo, noceo tibi, nocere tibi uolo, accuso te, accusare te uolo, potior illa re, etiam illius rei, etiam illam, potiri illam, etiam illius, etiam illa re uolo*». (3) Hic quoque Petrus Heliae et alii expositores uideantur. *Doctrinale* in VIII^o confirmat hoc modo (8, 1.238-54):

«Multotiens uerbum fert significata duorum,
 Voce gerundiui solet unum significari
 Accusatiuos hoc uerbum dat sibi binos
 Dum manet actiuum, sed et alter habetur eorum
 Qui si iungatur passiuo non uariatur,
 Infinitiui natura modi sociatur.
 Impersonalis tamen hinc modus excipiatur
 Hinc datum exemplum triplex: *tibi dico magistrum*
Discipulos mores placidos de iure docere
 Infinitiui natura regit praeuentem
 Doctrinam capiens regitur ui transitionis.
 Hocque gerundiuum tradendo dic ibi clausum
 Cuius ui regitur casus, qui non uariatur
 Dum per passiuu uocem uolo dicta resolui
 Aut illic positi regit hunc uis propria uerbi

Accusatiuis data per uim transitionis

Si uox concordet, actiua frequenter habebis».

Et infra (1.262):

«Quae sint persona sunt»,

et cetera. Et hic *Doctrinalis* expositores uideantur. Nec omittas *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De uerbis impersonalibus* (3, 91). (4) His Nicolaus Perottus connumerandus est, qui in capitulo de infinitis sic inquit (fol. i3u.): «Infinita uerborum personalium, siquem casum exigunt ante se, duntaxat accusatiuum exigunt, post se autem casum suorum uerborum, ut *cupio te frui felicitate tua*. Excipiuntur infinita quae copulare debent similem casum. Haec enim et a fronte et a tergo exigunt accusatiuum, ut *quia tu es deformis miror, miror te esse deformem, laetor quia tu euadis peritus, te euadere peritum laetor, quia tu incedis superbus doleo, doleo te incedere superbum*». (5) Et infra: «Animaduertendum est quod infinita praesentis et praeteriti imperfecti temporis tam personalium quam impersonalium, aliquando unum duntaxat casum ante se, hoc est casum uerbi sui, habent, nec alicui uerbo adherent, et tunc ponunt pro praeteritis imperfectis uerbi sui indicatiui modi cuiuscunque personae et utriusque numeri, ut Salustius (*Iug.* 38, 5): "Milites Romani perculsi timore insolito arma capere, alii se abdere, pars territos confirmare", pro *capiebant, abdebant, confirmabant*. Sic dicere possumus *nos taedere, illos pigere, alios poenitere*, pro *nos taedebat, illos pigebat, alios poenitebat*.

[6] 255. Impersonalia, transitioe intransitiue dicantur, obliquis copulantur, nisi per defectionem proferantur. Intransitiue, ut *curritur a me*, pro *curro*, uel *statur a te*, pro *stas*, uel *sedetur ab illo*, pro *sedet ille*. Licet in his uerbis impersonalibus res uerbi, id est actus per ipsum uerbum importatus uoce passiuam possit intelligi, ut *curritur cursus* et *bellatur bellum*, id est cursus fit et bellum. (2) Vnde si non addatur a quo, potest tamen sensum ipsius rei quae agitur exprimere. Virgilius in VII^o (*Aen.* 7, 553):

«Certatur comminus armis».

In *Eunucho* (217):

«Quid agitur? Statur».

Vel transitioe, ut *taedet me tui deum, opus est miserere peccatorum, illum poenitet suorum facinorum*. Hoc Priscianus primo minoris, carta 19, ubi de pronominum constructione, § *Sciendum tamen*, et ibi scribentes probant (17, 32).

[7] 256 regula. Quamuis impersonalia uerba numerorum personarumque infinita sint, tamen additione diffiniuntur pronominum, et per omnes modos accipiuntur uerborum perfectorum loco, ut *amatur a me, a te, ab illo, a nobis, a uobis, ab illis* sic etiam fit per cetera. Persaepe tamen sine pronominum adiunctione dicuntur ipsumque actum significant licet pronomina deficiant, ut Iuuenalis in 2^o (3, 7, 82-83):

«Curritur ad uocem iocundam et carmen amicae»;

Virgilius primo *Aeneidos* (1, 372-73):

«O dea, si prima repetas ab origine pergam

Et uacat annales nostrorum audire laborum»,

deest *tibi*. (2) Priscianus in eodem primo minoris, carta 24^a, § *Impersonalia quoque uerba*, firmat et adicit (17, 90): «Passiuam quidem uocem habentia ablatiuo uel datiuo more passiuorum iunguntur, et intransitiua intelliguntur, ut *curritur a me* uel *mihis*».

[8] 257. Licet actiuae uocis impersonalia infinitiuis possunt adiungi, ut *patris interest filios corrigere, mihi libet studere, me taedet litigare*, tamen impersonalia passiuam modos infinitos non admittunt, ut *amatur, statur, sedetur*, intransitiueque ponuntur. (2) Virgilius in VI^o (*Aen.* 7, 553):

«Bellatur comminus armis»,

pro *bellant*. Idem in V^o (*Aen.* 6, 178):

«Itur in antiquam siluam»,

pro *eunt*. Nam si nominatiuis addatur *bellatur gens*, ab alia persona ad aliam fit transitio, quamuis Apollonius in quarto ostendat in impersonalibus etiam nominatiuum ipsius rei uerborum in his uerbis posse intelligi. (3) Huic regulae Priscianus in 2^o, § *Quae uero passiuam habent significationem*, circa libri medium, auctor est, ubi notanter adiungit (18, 55): «Ex hoc possumus intendere quod impersonalia quibus nos frequenter utimur, possunt habere intellectum nominatiui ipsius rei quae in uerbo intelligitur. (4) Nam cum dico *curritur, cursus* intelligitur, et *sedetur sessio*, et *ambulatur ambulatio*, et *euenit euentus*, sic et similia. Quae res in omnibus uerbis etiam absolutis necesse est, ut intelligatur, ut *iuuo uitam* et *ambulo ambulationem* et *curro cursum*». (5) Petrus Heliae, in hoc 2^o, ultra medium, capitulo *Quaeritur ergo*

quomodo *dinoscat*, uersiculo *Ex auctoritate*, dicit (Reilly 1.032): «Ex auctoritate Prisciani habetur quod si quis haec omnia impersonalia prorsus inspicere uelit, ad ipsas res uerborum referuntur, et sunt omnia tertiae personae. Quod quidam ita praeue intelligunt, ut cum dicitur *curritur* putent subintelligendum nominatiuum *cursus*, ut dicatur *cursus curritur*. Vbi procul dubio *curritur* passiuum fieret, quod uel falsum est uel non intelligibile est, quod iam proponitur». (6) Et tandem idem Petrus Heliae dicit: «Auctoritati quoque dicimus quod omne impersonale habet intellectum tertiae personae, quia nominatiuus designans rem uerbi in eo intelligitur, non tamen subintelligitur. Non enim est aliud *curritur* quam fit *cursus*, et *placet mihi* quam placidum est mihi, ut totum de resolutione dictum intelligatur». (7) Et ideo paulo post idem Petrus Heliae quaerit: «Quare magis a passiuis acceperunt terminationem quam ab actiuis, quorum habent significationem? Solutio est quoniam licet ipsam actionem significant, dant tamen intelligere ex resolutione quandam passionem, quae circa ipsam intelligitur, ut *curritur a me*, pro *cursus fit a me*; fieri autem passio est. Vnde et constructionem passiuorum habent».

[9] 258. Quando infinitiuus *iri* in impersonalis uerbi suppletionem collocatur, ante se ablatiuum cum praepositione *a* uel *ab* reposcit, ut *uerum est a me amatum iri*, id est uerum est quod ego amabor. Quod si uerbi personalis suppletionem ponatur, ante se accusatiuum petit, ut *uerum est me amatum iri*, id est uerum est quod ego amabor. (2) *Iob XXII* (22, 11): «Et putabas te tenebras non uisurum et impetum aquarum inundantium non oppressum iri», id est quod non opprimere uel quod non opprimendus esses. Hoc a *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De infinitiuo iri* (3, 93), confirmatur, et hic Petrus Heliae circa finem minoris uide.

CX. De gerundiis.

[1] *Est*, quando cum gerundiis constituitur, ut *amandum est*, *docendum est*, impersonale est. Hoc enim uerbum *est* quadrifariam impersonale esse potest: primum quando statum significat, ut *bene est mihi*; secundo quando contingentia, ut *est quando elementum in duo diuiditur*, id est contingit; tertio quando claudit in se suppositum, ita quod nullo modo intelligatur extra, ut *ita est de Platone*, ut *de eo dicitur*; quarto quando cum gerundiis et participiis uerborum impersonalium sociatur, ut *a me legendum est*, *a me lectum est*. (2) De hoc per *Catholicon* in loco proxime allegato, ubi de hoc uerbo *sum* ad quartam partem, ubi de figuris, capitulo *De euocatione*, se remittit. Ego plenius hic supra, in doctrina 12, § *Cum igitur pronomina*, uersiculo *Perspicuum igitur*, de ipsa euocatione, deinde in uersiculo *Nec possum praetermittere quod Priscianus in 8^o de sum*, in doctrina 14, usque ad § *Cum de euocatione*, ubi de 15 doctrina de ipso uerbo *sum* et generaliter uerbo substantiuo perdoceo.

[2] 260 regula est. A *gero*, *-is* dicitur *gerendus*, *-a*, *-um* et secundum antiquos *gerundus*, *-a*, *-um* pro *gerendus* secundum regulam Prisciani primo maioris (1, 32). Vnde *gerundiuis*, *-ua*, *-uum* et per syncopam *gerundius*, *-a*, *-um*. Gerundia seu gerundia dicuntur quae omnimoda suorum uerborum significationem gerunt, et potius nomina quam uerba sunt dicenda, cum participiorum uel nominum obliquos casus habere uideantur nec tempora repraesentent, quae a uerbo sunt remota, ut *amandi*, *-do*, *-dum*, *amatum*, *-tu*. (2) Infinitiuus tamen funguntur officio, qui apud Graecos articulis iungi solet. Itaque pro infinitiuo qui genitiuo casui articuli apud Graecos coniungitur, nos in *-di* terminatione utamur, ut *amandi*, quae similis est nominis genitiuo. Nunc etiam frequentius *ad* praepositio praeponi solet: *ad amandum*, ex quo magis nomen quam uerbum esse ostenditur. Verbo enim per appositionem separata praeponi non potest praepositio. In *-do* quoque desinentia separatam praepositionem ante se quandoque tenent. Cicero *Pro Milone* (29): «Huius ergo interfector si esset in confitendo». (3) Haec Priscianus in VIII, tractans de temporibus approbat (8, 44), Petrusque Heliae adiiciens (Reilly 497): «Priscianus hic de gerundio agit, non quod hoc iudicet esse uerbum, sed quia Donatus (2, 12) et sui id uerbum esse putarint, et dicimus esse nomen eo quod translatum sit ad significandum, quod uerba sine tempore et ut eorum constructionem habeat».

[3] 261. Gerundia seu participalia, Petro Heliae in eodem 8^o testante, secundum quosdam sunt in *-di*, in *-do*, in *-dum*, ut *amandi*, *-do*, *-dum*, desinentia. Supina uero in *-um* et in *-u*, ut *amatum*, *-tu*. At secundum Priscianum (8, 44) omnia gerundia participaliaque dicuntur, sed causis diuersis sic uocantur. (2) Gerundia quidem quia sui uerbi significationem gerunt, uel maxima ex parte utranque significationem: actiuam scilicet et passiuam, ut quando ab actiuis communibusque fiunt, ut *causa uidentis uenio*, id est *ut uideam* uel *uidear*; similiter *uenio uisus*, id est de loco, ubi *uisus sum*, uel *uidi*, sic et in similibus. (3) Participalia uero dicuntur ista tria in *-di*, *-do*, *-dum* terminata. Prorsus enim in uoce

participiorum obliquis sunt similia et reliqua duo in *-tum*, *-tuque* finita, quod formam participiorum habeant. Eisdem enim ante *-um* et *-u* consonantes habent, quas ante *-us*, *-a*, *-um* praeteriti temporis participia sicut enim *lectus*, *-a*, *-um*, *-c* et *-t* ante *-us* habent, sic et gerundia his similia, quae quidam supina uocant. Semper enim supinantur, id est ab aliquo uerbo deriuantur, uel secundum aliquos, quod participiis passiuus sint similia, quae non nulli supina dicuntur, cum sit passio quasi supina actio. (4) Haec igitur aliqui uerba nuncupant, quippecum uerborum loco ponantur, et cum obliquis eisdem construantur, quibus cum et uerba; plerisque uidetur econtrario, quia tempus non significant et quibusdam eorum applicatur praepositio, et hos Priscianus, Petrus Heliae et expositores alii *Catholiconque* sectantur.

[4] 262. Gerundia supinaque a uerbo actiuo, passiuo, neutro, impersonali, communi deponentique nascuntur, sed quae ueniunt ab actiuo, in hoc resoluuntur, ut *causa legendi uenio*, id est ut legam. Quae a passiuo in passium, ut (Verg. *Buc.* 8, 71)

«Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis».

id est dum incantant. Quae a neutris in neutram, ut *causa dormiendi ueni*, id est ut dormiam. (2) Quae ab impersonali in impersonale, ut *uenio causa a me amandi*, id est ut a me ametur, id est ut ego amem. Quae uero a communibus profluunt, constructionem et significationem actiuam passiuamque conseruant, ut *uenio causa criminandi te* uel *a te*, id est ut criminer te uel a te. Quae a deponente descendunt in deponens resoluuntur, ut *causa loquendi uenio*, id est ut loquar. (3) Et tandem a quibus uerbis oriuntur, per eadem exponuntur, ut *magistrum legendum est Virgilium*, id est dignum est magistrum legere Virgilium, *magistrum honorandum est a discipulis*, id est dignum est magistrum a discipulis honorari. (4) Has tres prostremas regulas praeter Priscianum commentatoresque ipsius, *Catholicon* in tertia parte, capitulo *De gerundiis* (3, 92), et in quinta parte, in uerbo gerundium, attestatur, ex quibus *Doctrinalique* (8, 1.281-82) in accusatiui regimine sequens regula depromitur.

[5] 263. Cum gerundium pro articulo graeco infinitoque ponatur, ut dictum est, et infinitiuus ante se accusatiuum intransitiue poscat, post se uero eum casum transitue, quem uerbum exigit, a quo ille descendit, de gerundio ipso itidem est dicendum. Nam gerundia quoque et supina profecto accusatiuum a parte ante ex ui naturae suae in suppositi ratione flagitant et exposcunt, et a parte post casum uerbo proprio congruentem. (2) Vnde si gerundium a uerbo actiuo descendat, ante se accusatiuum intransitiue, post se uero accusatiuum quoque sed transitue instar infinitiui, cupit, ut *magistrum legendum est Virgilium*, id est dignum est magistrum legere Virgilium. (3) Sin autem a passiuo fluat, ante se accusatiuum, post se ablatiuum mediante praepositione regit, ut *magistrum honorandum est ab omnibus*, id est dignum est magistrum ab omnibus honorari. Quod si a uerbo impersonali ueniat, non alium casum quam suum uerbum exflagitat, ut *a me curritur* et *a me currendum est*, id est a me dignum est curri. (4) Hoc non modo a Prisciano 8^o maioris (8, 44), sed et a scribentibus ibi et *Doctrinali* capitulo 8^o, circa finem regiminis accusatiui cum suis glosatoribus comprobatur, ubi sic *Doctrinale* dicit (8, 1.281-82):

«Huncque gerundiis casum ueteres posuere

Vt supponentem, quod multorum tenet usus».

Tandem *Catholicon* in eo capitulo *De gerundiis* haec apertius asseuerat.

[6] 264. Quemadmodum infinitiuus actum infinitum significat, substantiamque ut terminum, in quem se ponat, respicit, sic gerundia et supina. Et sicut infinitiuus accusatiuum quandoque a parte ante non habet, quippecum nominatiuus accusatiuum praecedentem subintellectus fiat illeque debeat, sed in accusatiuo, subintelligi, qui certi suppositi facit intellectum, ut *ego uolo studere*, *me non taedet studiosum esse*, *mihi summe placet profuisse bonis*, *a me paretur obuiare malis*. (2) Eodem modo fit in gerundiis et supinis, ut *uado ad legendum*, *uado lectum*. Alioquin subintelligatur uel ponatur oportet, ut in *conueniendo populos in unum*, *ueniendo magistrum lectum*. Vnde et regula proxime data elicitur.

[7] 265. Tunc accusatiuum cum infinitiuo uel gerundio construi a parte ante dicitur, si in nominatiuum uerbum alterutrius personali supponentem resolui possit, ut *syllogizantem ponendum est terminos*, sensus enim est ut *syllogizans terminos* ponat. Ideoque accusatiuus ipse *syllogizantem* et non accusatiuus *terminos* a parte ante in ratione suppositi construetur. (2) Siquidem accusatiuus *terminos* in nominatiuum uerbo personali supponentem resolui non potest. Sic est et in infinitiuo illo *uerum est canem comedere panem*, *canem* quippe pro supposito a parte ante construitur, non autem *panem*, cum in nominatiuum supponentem resolui non posset. Non enim uera esset locutio si *panis canem comedit* diceretur. (3) Itaque id quod agit uel agens est, id in quo agit, et patiens id quoque respectu cuius patitur debet praecedere. Ideoque infinitiuus tam uerbi actiui quam passiuui cum accusatiuo construitur. (4)

Harum uero duarum postremarum regularum confirmatio a glosatoribus Prisciani *Doctrinalisque* in locis proxime allegatis petatur.

[8] 266. In hac oratione *Virgilium legendum est Musas* similibusque accusatiuus pro supposito sed minus usitate construitur. Porro huiusmodi accusatiui loco datiuus quandoque et usitatus collocatur, ut *Virgilio legendum est Musas*. *Legendum* tamen accusatiui casus est, sed ex ui gerundiui cum *est* intransitiue coit, uel dic nominatiui casus esse, saltem in ui nominatiui cum *est* personaliter posito intransitiue construi. (2) Licet autem Priscianus terminationem in *-dum* accusatiuo assignet, non tamen negat eam et nominatiui esse posse. Dic ergo *legendum* et nominatiui et accusatiui esse, cum omnis casus praeter uocatiuum habeat gerundiuum. Ergo propeterea quod nominatiui casus sit, cum uerbo *est* intransitiue coniungitur. Ex ui autem gerundiui cum accusatiuo datiuoque intransitiue quoque, sed transitue cum accusatiuo sequenti. (3) Petrus enim Heliae in 8^o, ubi de gerundiis et supinis docet, quaerit (Reilly 502): «Cum dicitur *legendum est Virgilium* et similia, cum quo accusatiuus construitur, cum enim sit accusatiuus, non uidetur posse construi cum *est* uerbo intransitiue. Quaeritur ergo cum quo construitur hoc uerbum *est*. (4) Dicunt quidam quod licet *legendum* sit accusatiui casus, ex ui tamen gerundiui construitur intransitiue cum *est* et cum accusatiuo *Virgilium* transitue. Alii uero dicunt quod *legendum* ibi ponitur impersonaliter, unde cum uerbo *est* intransitiue construitur. Alii autem dicunt quod totum hoc, scilicet *legendum est*, ponitur pro uno et construitur transitue cum accusatiuo *Virgilium*. Incurrit tamen illa quaestio cum quo construitur *est*, et ideo prima sententia preualere uidetur».

[9] Idem Petrus Heliae 2^o minoris, carta penultima, ubi de gerundiurum constructione docet, ait (Reilly 1.026): «Notandum tamen quod licet quandoque pro huiusmodi accusatiuo ponere datiuum, quando sequitur uerbum substantiuum, ut *Virgilium legendum est Musas*, quod non est in usu, pro hoc *Virgilio legendum est Musas*, quod usitatus dicitur. (2) De hac commune quaestione quaeritur cuius casus ibi sit gerundiuum? Et dicunt multi quod accusatiui casus. Nos uero dicimus quod ibi *est* personaliter ponitur et *legendum* in ui nominatiui et intransitiue construitur. Ad quod opponitur quod terminationem in *-dum* non assignat Priscianus nisi accusatiuo casui. Sed solue quod nec negat esse nominatiui. Dicimus ergo quod *legendum* et nominatiui et accusatiui casus est, cum omnes casus habeat gerundiuum praeter uocatiuum. (3) Ex eo ergo, quod nominatiui casus est construitur intransitiue cum uerbo. Ex ui autem gerundiui cum accusatiuo datiuoue a parte ante intransitiue, cum accusatiuo autem sequenti transitue». (4) Fortasse rectius dici posset in oratione illa *Virgilio legendum est Musas* similibusque datiuum non pro accusatiuo, ut Petrus Heliae dixit, sed pro ablatiuo praepositione mediante *a* uel *ab* et gerundiuum cum uerbo *est* impersonaliter collocari, adeo ut gerundiuum *legendum* ab impersonali *legitur, legebatur* descendere sit dicendum. (5) Nam uerba passiuia impersonaliaque passiuae uocis cum ablatiuo uel datiuo ablatiuo loco indubie construuntur, sed passiuia transitue, intransitiue uero impersonalia. Priscianus enim in 8^o dicit (8, 9): «Passiuia ablatiuo casui cum praepositione *a* uel *ab* solent iungi, ut *abstineor a te*. Possunt tamen et datiuo adiungi». (6) Idem in eodem, loquens de deponentibus passiuis, ait (8, 22): «Quae uero passiuam uim habent, ablatiuum cum *a* uel *ab* praepositionibus uel datiuum, ut *nascor a te et tibi*». (7) Idem in XI, post principium (11, 4): «Et actiua quidem plerunque accusatiuum sequuntur. Passiuia uero ablatiuum uel datiuum figurate, genitiuum uero admodum pauca». (8) Idem in primo minoris, carta 19, ubi de pronominum constructione, § *Sciendum*, sic ait (17, 67): «Sciendum tamen quod impersonalia siue transitue siue intransitiue proferantur, obliquis casibus coniunguntur, nisi per defectionem proferantur. Intransitiue, ut *curritur a me*, pro *curro*, uel *statur a te*, pro *stas*, uel *sedetur ab illa*, pro *sedet ille*. Quamuis in eis potest intelligi res uoce passiuia, ut *curritur cursus et bellatur bellum*. (9) Vnde si non addatur a quo, potest tamen exprimere sensum ipsius rei qui agitur. Virgilius in VII^o (*Aen.* 7, 553):

"Certatur comminus armis".

In *Eunucho* (271):

"Quid agitur? Statur".

Vel transitue, ut *misert me tui, piget te mei, poenitet illum suis*. (10) Idem in eodem, carta 24, § *Impersonalia*, subiicit (Prisc. 8, 44): «Et passiuia quidem uocem habentia ablatiuo uel datiuo more passiuorum iunguntur, et intransitiue intelliguntur, ut *curritur a me* uel *mih*».

[10] 267. Gerundia uel participalia secundum Priscianum in 8^o, ubi de temporibus examinat, potius nomina sunt dicenda, cum nominum uel participiorum casus obliquos habere uideantur, nec tempora significant, quod a uerbo sit remotum, ut *amandi, -do, -dum, amatum, -tu* funguntur. Tamen infiniti uoce, qui apud Graecos articulis coniungi solet. (2) Nunc tamen frequentius ad praepositionem

per appositionem solemus praeponere, ut *ad amandum*, ut et *in, in amando*, ex quo magis nomina quam uerba declarantur esse. Verbo enim separata praepositio per appositionem praeponi non potest. Et hanc opinionem Petrus Heliae sequitur in octauo. (3) Quam circa finem minoris confirmat, carta scilicet antepenultima, in capitulo *Gerundia, participalia et supina*, ubi de his docet inquiring (Reilly 497): «Quod gerundia sint nomina, hoc modo ostenditur, nam recipiunt praepositiones per appositionem, quod non faciunt uerba, igitur potius nomina sunt dicenda. Item sine tempore significant, non ergo sunt uerba». (4) Verum Laurentius Vallensis, libro *Elegantiarum* primo, capitulo XXVIII, quem ibi persequor in meo *Elegantiarum breuiario*, nec nomina nec uerba esse putat, cum casum more uerborum participiorum regant et casus generaue in utroque numero habeant. (5) Ideo prope inter participia, ut supina inter uerba, connumerari possunt, meritoque participalia nuncupantur, quasi participiis sint similia. Et hoc Nicolaus Perottus in capitulo de gerundiis probat, in principio (fol. i4r.). Quapropter haec cum his auctoribus potius participalia quam nomina dicenda esse reor.

[11] 268. Quamuis secundum communem auctorum opinionem gerundium a parte ante accusatiuum poscat, ut in 263 regula dictum est, tamen Laurentius Vallensis in eo 29 capitulo tenet hoc ante se nullum casum regere, licet post se casum uerbi sui exigat. Iccirco sermo qualis est «In conuertendo dominus captiuitatem Syon facti sumus, sicut consolati», latinus dici non debet. (2) Graeci nanque hoc loco infinitiuum habent, qui ante se accusatiuum cupit. Vnde modis aliis transferri potuisset, ut *dum conuerteret dominus captiuitatem Syon*, uel *conuertente domino captiuitatem Syon*, uel *postquam dominus Syon captiuitatem conuertebat*. (3) Enimuero quidam minus elegantes aiunt casum pro casu poni, quasi latine dicatur *in conuertendo dominum*, ut illud (*Psalms*. 141, 4) «In deficiendo ex me spiritum meum», et alibi (*Psalms*. 101, 23): «In conueniendo populos in unum». Cum gerundium ante se secundum praelibata nullum casum habere possit. (4) De numero uero minus elegantium Petrus Heliae dici potest, qui super hac materia sic dubitat in 8^o (Reilly 501): «Quaeritur cum gerundia exigant eosdem casus quos et sua uerba, an debeat dici *in conuertendo dominus captiuitatem Syon*? Cum quo enim construeretur ibi *dominus*. Gerundium enim cum nullo casu uidetur debere construi, nisi cum obliquo casu, cum quo et suum uerbum. (5) Sin dicatur *in conuertendo dominum captiuitatem Syon*, ut magister Anselinus uoluit, uidetur quod dominum habeat significare rem ut patientem. Cum tamen domini sit conuertere, non conuerti. Dicamus ergo quod *conuertendo* significet tam actionem quam passionem. Ideo potest construi cum dominum, ut ille casus significet personam agentem, cum *captiuitatem* sic, ut iste casus significet rem, ut patientem».

[12] 269. Inter gerundia participiaque magna est differentia: quod gerundia sine tempore rei administrationem notant, participia uero sine administratione tempus, ut *tenet me iure dicendi occupatio*, gerundium est, nec tempus futurum sed rei administrationem significo, hoc est in iure dicendo. Rursus, *tenet me dotis numerandae cura*, id est quae numeranda est, participium est futuri significatiuum sine administratione rei. Hanc differentiam per Laurentium Vallensem Nicolaumque Perottum et me locis in antedictis inuenies.

[13] 270 regula est. Gerundium paene participium temporis praesentis et passiuum quandoque more Graecorum est dicendum, idem est *in legendo* et in ipso *legere*, et *in legendis libris* idem est quod *cum libri leguntur*. Paene eodem modo quo de futuro *in legendis libris*, scilicet qui legendi sunt. Vnde Seruius in II^o *Georgicarum* (2, 239): «Mansuescit arando, id est dum aratur». (2) Itaque *in legendis libris* gerundium et participium dari potest. Nam si dicam *in legendis libris tempus consuma*, gerundium est, ac si *in legendo libros* diceretur. Sin autem dixerim *in legendis libris deerit tibi tempus*, participium est futuri, hoc est dum libros leges uel leguntur potius a te libri.

[14] 271. Quamuis plerique grammatici gerundium duntaxat obliquos habere et ita recto carere putent, tamen iuxta Laurentii sententiam (1, 27) uel in recto reperitur, ut apud Lucretium atque Virgilium (Lucr. 5, 514; Verg. *Aen.* 9, 7):

«Voluenda dies en attulit ultro».

Voluenda non tempus futurum sed rei administrationem notat, dies uidelicet quae uoluitur, non quae uoluenda est aut qui uoluetur. (2) Vnde gerundium temporis praesentis participium esse iudicatur. *Iusiurandum* eiusdem casus et uocatiui quoque uideri potest. De recto igitur, id est nominatiuo uocatiuoque data sint exempla, ut

«Voluenda dies en attulit ultro»,

et *iusiurandum obseruetur*, et *o iusiurandum fac te ab omnibus obseruari*. (3) De genitiuo quoque datum exemplum praesta, ut *iurisdicendi occupatio*. De datiuo tale sit: *da rebus agendis operam*. De accusatiuo: *ad*

accusandos homines praemio duci proximum est latrocinia. De ablatiuo: tu delectaris criminibus inferendis. (4) Cum accusatio fere semper praepositionem adiungimus, pauca excipimus quae sunt *loco, conduco, mando, curo, habeo pro debeo*, et siqua sint alia, ut *faciendam sepulturam locarent*, id est darent alteri faciendam, uel *ipsi se ad faciendum locarent*, utrumque nanque significat. Nec illud *faciendum* est participium sed gerundium certe. Et hae duae proximiores regulae locis in praeallegatis confirmantur.

[15] 272. Petro Heliae circa minoris finem, carta scilicet antepenultima, secundum Priscianum ibi et in 8^o referente (Reilly 1.024): «Cum gerundia sint nomina, neutri generis sunt habenda, quia nec masculini nec feminini sunt, sed cum omni genere passim coniungantur. Et utriusque sunt numeri, quia cum singulari et plurali construuntur. Et *legendi, -do, -dum* secundae declinationis sunt, ut *supina lectum, -tu* quartae. Item gerundium nec adiectiuum nec adiectiuum est, nec proprium nec appellatium. Haec enim de iis quae nomina sunt irubie dici debent». (2) Et Laurentius Vallensis in eodem 29 capitulo, quem ibidem sequor, dicit hoc modo: «Variantur porro gerundia per omnes quos enumerauimus casus, numeros et genera. Nam, ut ego sentio, haec omnia in genitiuo habent, ut *delectatio fruendi principatus, fruendae prouinciae, fruendi imperii, molestia educandorum filiorum, locandarum filiarum, colendorum praediorum*. (3) Regitque hic genitiuus aliquando casum. Cicero (*De sen.* 83): "Equidem efferor studio patres uestros, quos colui et dilexi, uidendi". Nam durum fuerat *studio patrum nestrorum uidendorum*. Et quotiens loqui per relatiuum oportet, necesse est per hoc gerundium loqui, ut *hic dies attulit initium dicendi quae uellem*, non autem *dicendorum eorum quae uellem*. (4) In datiuo: *uaco agro colendo, uineae pastinandae, nemori succidendo*. Vnde Seruius in primo *Georgicorum* (1, 3): «Habendo pecori, id est dum habetur aut ut habeatur». In plurali una uox trium generum, ut *uaco agris, uineis, nemoribus procurandis*, qui casus regimen non habet. Absurdum sit nanque dicere *do operam colendo agrum* uel *legendo librum*. (5) *Soluendo non sum* nunquam patitur substantiam. Ideo dubitari potest ante datiuus sit an ablatiuus. Significat autem satisfacere pro eo quo obligatus es siue pecunia siue renunciatione. Vult autem post se datiuum semper, licet non semper apponatur. Interdum etiam alium, ut apud Quintilianum (*Decl.* 8, 3): «Maximi tum uirorum et quibus artis suae soluendo non sit humanitas». (6) In accusatiuo, ut *eo ad salutandum fratrem, ad salutandam sororem, ad salutandum sidus, ad salutandos fratres, ad salutandas sorores, ad salutanda sydera* quod elegantius dicitur quam cum regimine, ut *eo ad salutandum fratres*.

[16] 273. Quemadmodum gerundiui accusatiuus, sic et ablatiuus secum suam praepositionem trahit, ut *ad accusandum tardi et defendendum prompti simus*. Item *in defendendo maior labor quam in accusando est*. Iam autem indagandum est cum quot praepositionibus accusatiuus et cum quot ablatiuus sit iungendus. (2) Profecto accusatiuus frequenter cum *ad, ob, propter* et *inter*, raro cum *in* anteaque coniungitur, ut *uado ad capiendum hostem* et *in capiendum hostem; ob te uel propter te redimendum ueni, inter nauigandum*, pro *in nauigando*, saepe legitur. Virgilius in *Bucolicis*, egloga IX (9, 25):

«Et inter agendum occusare capro cornu ferit ille
Caueto»,

ubi dicit Seruius: «Inter agendum, id est dum agis, et honesta locutio est si dicamus *inter cenandum haec sum locutus*». (3) Totidem fere praepositiones gerundiui seruiunt ablatiuo, *in* frequenter, ceterae rarius: *de, ex* uel *e, a* uel *ab*, et *cum*, ut *in nauigando, de edendo, de migrando, de agendo, e defendendo, ex accusando, a discendo, ab amando, cum dicendo*. Sed habet *inter* raro cum gerundio substantiam, rarius regimen. De *ante* nullum exemplum impresentiarum occurrit. (4) In ablatiuo sine praepositione gerundium reperitur, ut *fit iniuria fundi domino uel defringendo ramo uel ligno incidendo*, id est cum defringitur ramus, cum inciditur lignum, uel defringendo ramum, incidendo lignum. (5) Sed ueteres frequentius ablatiuo plurali in tali sermonis genere usi sunt. Cicero (*Off.* 1, 2): «Orationem autem latinam legendis nostris efficies plenior», id est legendo nostra, nam in singulari saepius praepositionem solebant apponere, ut in *comitendo proelia*. Hic autem gerundiui ablatiuus casum sine praepositione regit, ut *hos accusando, illos occidendo totam ciuitatem labefactasti*. (6) Cum praepositione *in* et *de* tum regit, tum genera uariat; per *ex* uel *e* et *a* uel *ab* nescio an liceat dare tali gerundio regimen. Nullum enim subit exemplum. Variari autem per genera certum est, sed cauendum ne per uerbum significetur motus, quale esse *reuertor ab arando* uel *ab arando aruo; redeo a spectando* uel *a spectandis ludis*, cum dicendum sit *ab aratione* uel *ab arui aratione reuertor; redeo a spectaculo* uel *a ludorum spectaculis*. (7) Per *cum* uix locum habet talis oratio, ut non participium potius quam gerundium sit, ut *sedeo cum uiro coronando*, id est qui coronabitur, non autem qui coronatur. Regimen quoque habere posset, ut *sedeo cum uiro coronando bonos*, id est dum coronat bonos, uel *cum uiro a bonis coronando*, id est dum coronabitur a bonis. Sed exempla sunt parua. Haec regula, ut praecedens in eodem 29^o capitulo probatur.

[17] 274. Gerundia et supina uerbis abs transituius uenientia actionem passionemque significant, ideoque duplicem constructionem habere possunt. Quandoquidem Petrus Heliae 2^o minoris, in carta antepenultima fine scribit (Reilly 501): «Dicitur *uidendo*, id est dum uidet, et *uidendo*, id est dum uidetur. Sicut ergo dicitur *uidendo illum*, id est dum uidet illum, quare non similiter dicatur *uidendo ab illo*, id est dum uidetur ab illo? Et si igitur frequenter non habeatur, tamen rationabiliter dici potest *certando ab isto*, id est dum certatur ab isto» (2) Et ibi modernus expositor scribendo similia explicat. *Doctrinale* ante noni finem scit sic canit (9, 1.507-510):

«Actum siue pati signare gerundia possunt
Atque supina per hoc datur his constructio duplex.
Si tamen a uerbis ueniant signantibus actum
Haec delectatur in spectanda, quasi pulchra».

Et hic glosatores uideantur.

[18] 275. Quamuis gerundia et nomina uerbalia in *-dus* terminata et participia in *-dus* desinentia, quae uelut a uerbis passionem significantibus profluentia pati notant, in uocum terminatione conueniant, tamen longam inter se habent differentiam. Siquidem, Petro Heliae circa finem minoris, carta scilicet antepenultima (Reilly 501), disserente, in significatione differunt, etenim participia cum tempore significant, sed alia duo sine tempore, licet eisdem constructiones esse possint. (2) Nam *Virgilius amandus est a me* est participium, si pro a me amabitur exponetur; *amandus autem a me*, pro dignus amari, nomen est. Etiamque utrunque datiuo posito pro ablatiuo sociari potest. (3) Gerundia uero differunt a utrisque tam significatione quam constructione: significatione quoniam gerundia actionem passionemque significant, hocque sine tempore. Illa uero passionem solam, quaedam cum tempore, quaedam sine tempore. Constructione quoniam illa nunquam in eisdem accidentibus dictiones assumunt, sed ad actiui similitudinem construuntur. (4) Haec uero semper in eisdem accidentibus sibi sociant substantiuum, ut *causa legendi Virgilium uenio* gerundiuum est; *causa legendi Virgilii studeo* participium est, alias indubitabiliter nomen est. Tamen eodem modo in reliquis considera. (5) Haec Petrus Heliae refert, tamen non recte propter id, quod dixi gerundia nunquam in eisdem accidentibus dictiones assumere, ut per antedicta, a regula 267 in praesentem, praesertim in 269 et 270, permaxime in 271, perfacile sit cognitu. (6) Vnde inter tria praelibata talis fieri potest differentia: quod gerundia a uerbis transituius profecta actionem passionemque significare possunt, ut a uerbis actiuis, neutris, in quem transituius et deponentibus huiusmodi, hoc est deponentibus habitis pro communibus ab antiquis, communibusque nostris procedentia. (7) Gerundia uero a neutris deponentibusque actionem notantibus descendunt actionem, sed a significantibus passionem ignatam uel illatam talem passionem important, sed nomina uerbalia participiaque de quibus agitur solam passionem significant, sed in gerundia nominaque uerbalia sine tempore faciunt, participia uero cum tempore. Et ita quo ad significationem prima dari potest differentia. (8) Secunda uero quo ad constructionem est, nam gerundia cum omnibus casibus sensum proprii uerbi exigentia possunt construi, ut *studeo causa essendi doctor uel praebiter, oro causa miserendi tui uel tibi, sum hic causa consequendi caelestem regnum, o clerice, causa essendi praebiter radi cupis, ad Saracenos deuotus Christianus uadit causa patiendi martyrium ab illis propter Christum*. Et ita de aliis dici potest. (9) Nomina uero uerbalia participiaque in *-dus* terminata solam cum ablatiuo uel datiuo pro ablatiuo posito constructionem admittunt, ut *causa diuini audiendi officii ad ecclesiam proficiscor*, scilicet a me uel mihi pro a me. Et si *audiendi*, id est quod audietur, exponatur, erit participium, passionem cum tempore significans. Quod si, id est digni a me audiri interpretetur, nomen uerbale erit, passionem sine tempore denotans. (10) Tertia uero differentia quo ad interpretationem potest assignari, nam gerundia pro uerba sua temporis praesentis cum administratione quadam seu administrationis significatione interpretari debent, ut (Verg. *Aen* 9, 7)

«Voluenda dies en attulit ultro»,

id est dies quae uoluitur, non quae uoluenda est seu uoluetur, ut in 271 regula fuit declaratum. (11) Participia uero per tempus futurum exponentur, ut *causa Virgilii legendi a me peruigilo*, id est qui legetur a me. Verbalia uero per *dignus* uel *debet* infinituumque passiuo debent exponi, ut *causa legendi Virgilii a me*, seu *mihi, studeo*, id est digni legi a me, seu qui a me legi debet. (12) Ad maiorem praedictarum regularum, id est octo proximiorum, intelligentiam et differentiam inter Priscianum et Laurentium discernendam, Priscianus in VIII^o, de temporibus examinans, pernotetur, ubi praeclare sic inquit (8, 45): «Quomodo igitur frequentissime in *-dus* desinentia nomina uerbalia et eorum obliquos casus proferre solent Romani pro infinitis in graeca locutione prolatis, ut *legendi Virgilii causa uigilo*, sic etiam gerundia uel supina

proferuntur. (13) Hoc tamen uidentur inter gerundia supradicta et nomina, quorum etiam nominatiuus in *-dus* profertus, interesse: quod quando sunt absque dubitatione nomina, simili casui adiunguntur, et discernunt genera, ut *intelligendi Homeri gratia* et *amandae uirtutis causa* et *emendi mancipii studio ueni*. (14) Quando uero sunt gerundia, id est loco infiniti cum articulo iuncti apud Graecos, accipiuntur, nec genera discernunt nec numeros, quod suum est infinitiuorum uerborum, et illum sequuntur casum, quem et uerba, ex quibus nascuntur, ut si dicam *intelligendi Homerum causa uenimus* et *amandi uirtutem causa laboro* et *emendi mancipium causa uenio*, quamuis rarus sit huiuscemodi constructionis usus. (15) Similiter dicimus *intelligendo Homerum profeci*, *amando uirtutem legi* et *inuidendum nobis non est* et *minimum nocendo uirtuti*, quia superiorum accusatiuo, inferiorum uero uerba datiuo adiunguntur. (16) Praeterea gerundia tam ab actiuis quam a communibus nascentia, tam actiuam quam passiuam habent significationem. Nomina uero mobilia supradictae formae in *-dus*, *-da*, *-dum* desinentia habent unam, et magis passiuam. Solemus enim per uerbum passiuum ea interpretari, quid est enim *amanda est uirtus* nisi digna qui ametur. (17) Vnde raro inueniuntur a neutris absolutam significationem habentibus, ut *sto*, *sedeo*, *surgo*. Nemo dicit *standus*, *sedendus*, *surgendus*, quorum supina significationem sui seruant uerbi simplicem. A ceteris uero neutris et deponentibus gerundia quidem eandem significationem habent, quam et uerba, ut *faciendi*, *sequendi*, *loquendi*. (18) Nomina uero supradictae formae, scilicet in *-dus*, *-da*, *-dum*, quomodo supra diximus, magis passiuam significationem habent, *faciendus*, id est qui debet fieri, *sequendus*, id est quem debent sequi, *loquendus*, id est quem debemus loqui». (19) Et infra (8, 49): «Pro autem tempore infiniti uerbi solent accipi. Dicimus enim *legendi causa in honore fui* et *sum* et *ero*. Quod autem ab actiuis et communibus uenientia communem habent significationem, usus quoque comprobatur. Virgilius in *Bucolicis* (3, 2, 5-6):

"Cantando tum illum aut nunquam tibi fistula cera
Iuncta fuit",

actiue protulit. Idem in eodem (8, 71):

"Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis",

passiue protulit. Idem *Aeneidos* 2^o (2, 6-7):

"Quis talia fando

Mirmidonum",

actiue dixit. Idem in eodem passiue (2, 81):

"Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures";

solebant autem antiqui *fatus* communiter proferre. Idem in 4^o *Georgicorum* (3, 215.16):

"Vritque uidendo

Femina",

passiue protulit, et *uidendo perit*, actiue, id est dum uidetur. (20) Quod autem haec quoque nomina sint, ostendit praepositio, quae frequenter, ut supra diximus, inuenitur, tam ante accusatiuum quam ablatiuum eorum casum, ut *ad uenandum* et *in uenando*. In neutris uero et deponentibus simplices habent significationes». (21) Petrus Heliae in eodem 8^o, ubi Priscianus de gerundiis tractat, dicit (Reilly 497): «Finito tractatu de modis uerborum, agit Priscianus de gerundiuo, non quia illud uerbum esse iudicat, sed quia Donatus et sui reputauerunt id esse uerbum. Videndum ergo est quae sunt gerundia, et quare sic uocata. Deinde ponendae sunt rationes quare a quibusdam dicantur nomina. Ad ultimum cui sententiae consentiamus. (22) Gerundia uero uel participalia sunt secundum quosdam desinentia in *-di*, in *-do* et in *-dum*, ut *legendi*, *-do*, *-dum*. Supina uero desinentia in *-um* et in *-u*, ut *lectum*, *-tu*. Secundum Priscianum uero ista quinque omnia gerundia sunt et participalia, sed diuersis de causis sic uocata. (23) Dicuntur enim gerundia, quia gerunt significationem sui uerbi, uel quia maxima ex parte gerunt significationem utranque, scilicet actionis et passionis, quod est quando fiunt ab actiuis et communibus, ut *uenio causa uidendi*, id est *ut uideam* uel *uidear*; similiter *uenio uisu*, id est de loco, ubi *uisus sum*, uel *uidi*, sic et in similibus. (24) Participalia uero dicuntur ista tria, ideo quia penitus idem sunt uoce cum obliquis participiorum illa, scilicet quae terminantur in *-di*, in *-do*, in *-dum*. Duo autem reliqua dicuntur participia, quoniam habent formam participiorum. Habent enim easdem consonantes ante *-um* et *-u*, quas et participia praeteriti temporis ante *-us*, et *-a*, et *-um*, sicut enim *lectus*, *-a*, *-um*. Habent *-c* et *-t* ante *-us*, ita quoque *lectum*, *-tu*. Supina uero dicuntur praedicta gerundia, quia semper supinantur, id est ab aliquo uerbo deriuantur; uel ut alii dicunt, ideo dicuntur supina, quia etiam similia sunt participiis passiuus, quae quidem uocantur supina, quia passio est quasi supina actio. (25) Haec ergo a quibusdam uerba uocantur, quia loco uerborum ponuntur, et construuntur cum eisdem obliquis casibus, cum quibus et uerba;

quibusdam uidetur econtrario, quia non tempus significant et adiungitur quibusdam eorum praepositio, cuius opinionis Priscianus est». (26) Haec Petrus Heliae Prisciani opinionem sequens, sed in aliquibus utriusque Laurentius refragatur, ut iam dictum fuit, et de supinis tractando refertur. Itaque secundum Petrum Heliae gerundia supinaque triplici nomine nominari possunt. Hoc est gerundia et supina nominaque participalia dici possunt. (27) Gerundia quia duo significata gerunt. Licet autem omnia non duo significata gerant, ut uenientia a neutris non transitiuis deponentibusque. Tamen id nomen propter ea quae proprie sunt gerundia, ut uenientia ab actiuis et neutris transitiuis communibusque fuit impositum, extenditurque ad alia, ut etiam in patronymicis uideri potest. Nam eo patronymica appellantur. (28) Supina uero duabus de causis dicuntur: uel quia suscipiendo actionem passionemque supinare censentur; uel eo quod passionem significant, quippe cum passio resupina sit actio. Actus enim in passo terminatur et in ipsum supinari putatur. (29) Nomina nuncupatur quia casus nominis instar habent, ut *amandi*, *-do*, *-dum*, *-tum*, *-tu*. Item secundae quartaeque declinationis uidentur esse. Participalia nominantur quia sui participii uoces habent, sicut enim *amandus*, *-a*, *-um*, dicitur in nomine ita in gerundiis *-di*, *-do*, *-dum* et sic in nomine *amatus*, *-us* -uque habetur. Ita *amatum*, *-tu* in supinis. Ideo similes sunt in uoce. (30) Hoc Nicolaus Perottus in capitulo de gerundiis confirmat dicens (fol. i4r.): «Gerundia participalia dicuntur, quia cum sint nomina et habeant casus et genera in utroque numero, propter quod nec uerba sunt, merito participalia dicuntur, quasi participiis similia sint». (31) Igitur haec de quibus huius agitur trifariam nominari possunt.

[19] 276. Gerundia huius uerbi *sum* ex *Doctrinalis* sententia triplicem constructionem habere possunt. Nam si nominatiuus praecedat nominatiuum copulare possunt, ut *tu uis radi causa essendi presbiter*, adeo ut licet uocatiuus subsit, tamen propter nominatiuum, scilicet *tu* subintellectum, nominatiuus sequi potest, ut *presbiter essendi causa uis, clerice, radi*. Nam in *uis* nominatiuus *tu* suppleri debet. Et hoc ideo quia hi nominatiui ad idem pertinent. Nec fere tenetur quod *presbiter* uocatiui casus sit. (2) *Sum* autem et omnino substantiua uerba similes casus ad idem pertinentes copulare debent. Vnde recte si nominatiuus praecedat uel expresse uel subintellecte, nominatiuus ad idem pertinens subiici et copulari potest. Nam *Doctrinale* in principio octaui dicit (8, 1.079-80):

«Horum consimiles debet coniungere casus

Copula personam dum pertineant ad eandem».

(3) Secunda est constructio quod licet nominatiuus praeponatur, haec gerundia genitiuum uel datiuum propter similem casum subintellectum recte copulabunt, ut *militis essendi causa praecor arma parari*. Nam in *causa mei* debet subintelligi. Quod si gerundiuum *essendi* a uerbo *est* pro *interest*, *prodest*, *pertinetue* sumatur, sine suppletionem recte *militis* dici potest, ut *praecor arma parari causa essendi militis*, ut scilicet ad militem pertinent. (4) Sin autem in sua propria significatione teneatur distinguendum est. Aut enim sine supplemento facienda est constructio et tunc est incongrua, quippe similes non copulantur casus. Et enim genitiuus *militis* cum nominatiuo *ego* in uerbo *praecor* intellecto dissimiliter copulatur, licet ad eundem personam pertineant. Aut fit suppletio, ut *praecor arma parari causa, supple mei essendi militis*. Tunc congrua est locutio. Sic enim recte casus similes copulantur. (5) Vnde recte quoque dicitur *praecor arma parari mihi causa essendi miles* uel *militi*, nam *miles* propter *ego* in *praecor* intellectum et *militi* propter *mihi* expressum congrue copulatur. Ceterum si *militis* ad *arma* comparetur, sine aliqua suppletionem sustineri posse, quasi transitiuam constructio, ut *illa arma sunt militis*, sensus enim est *praecor arma parari causa essendi militis*, id est ut arma sint militis. (6) Tertia dari potest constructio, quod si accusatiuum uel ablatiuum praecedat expresse uel tacite, similis casus propter uim copulae sequi potest, ut *essendi regem causa me posco iuuari*, et *a te laborandum est causa essendi doctore*. (7) Verum si quaeratur casus sequens gerundiuum *essendi* unde regatur, responderi potest de hoc opiniones esse. Quidam nanque dicunt quod ab illo gerundiuo *essendi* ex ui copulae regatur. Alii uero tenent ab illo *ego*, a quo primus casus gubernetur, cum primis casus det alteri, ut in tali casu ponatur. (8) Quandoquidem regere nihil aliud est quam dictionem conferre dictioni, in tali casu poni. Et sic patet solutio illius triplicis quaestionis, de qua *Doctrinale* circa noni finem quaerit, et plena textus illius expositio. Vbi sic habetur (9, 1.511-15):

«Deque gerundiis, quae *sum* gerit, esse uidetur

Quaestio, si triplex illis constructio detur:

Presbiter essendi causa uis, clerice, radi,

Militis essendi causa praecor arma parari,

Essendi regem causa me posco iuuari».

[20] 277. Hae constructiones per gerundia huius uerbi *sum* factae, licet congrue dici possunt, tamen inelegantes a maximorum uirorum usu remotae sunt. Laurentius enim in eo ipso 29 capitulo dicit ante medium: «Breuissime stultorum quorundam opinionem reprehendam, qui aiunt recte dici *essendi rex, essendi regis, essendi regem*, cum nunquam *essendi* reperiatur, et si reperiatur non reget casum, sicut *manendi, uiuendi, existendi*». (2) Leonardus enim Aretinus in sua *Ethicorum* translatione noua, ante octauum finem (1162a), gerundiuo *essendi* sine casu utitur regimine, ut post se nihil apponatur: «Maxima enim -inquit- hi beneficia contulerunt, cum *essendi* educandique causa sint natosque erudiendi». (3) Quippecum ne *ens* quidem apud summos uiros in usu sit, etenim nec apud Ciceronem nec Salustium nec iurisconsultos nec alios elegantes inuenio, sed pro *ens* hoc uerbo *res* uel circumlocutione *qui est fuitue* utuntur, licet apud Aristotelis textus antiquos inelegantes, tamen minusque latinis saepenumero legerim, adeo ut V^o *Metaphysicae* expressum capitulum de *ens* aliisque in locis is saepe repetitum reperies. (4) Ad hoc confirmandum Priscianus 2^o minoris, § *Est autem quando*, carta 2^a, potest adduci, sic praclare dicens (18, 6): «Est autem quando per eclipsim uerbi uel participii substantiuu huiusmodi casuum, id est nominatiu cum obliquis constructio soleat proferri, ut *Filius Pelei Achilles multos interfecit Troianos*. Subauditur enim participium uerbi substantiuu *ens*, quod in usu nunc non est, pro quo possumus *qui est* uel *fuit Pelei filius* dicere uel subaudire». (5) Idem in eodem, ultra medium, de imperatiuis docens, § finali, dicit id confirmans (18, 75): «Graeci autem participio utuntur substantiuo, quo nos quoque secundum analogiam possemus uti, nisi usus deficeret participii frequens, quamuis Caesar non incongrue protulit *ens* a uerbo *sum* et quomodo a uerbo *possum* potes *potens* (cf. Caes. *De anal. Fr.*)».

CXI. De gerundiui regimine.

[1] 278 sit regula. Cum saepe et hic de participiis nominibusque uerbalibus mentio facta sit, quod secundum eundem Laurentium in eodem 29 capitulo illa participia in nomina transeunt: *putaui ad te scribendum, existimaui hanc rem tractandam, censui tibi illud significandum*, id est dignum scribi, tractari, significari. (2) Quae oratio idem ualet quos *scripsi, tractaui, significaui*, sed non sine deliberatione nec inconsulto. Dicebant autem antiquiores *rogatum te uelim, oratos uos uelim*, pro eo quod est *rogo* et *oro*, sicut posteriores, quorum est Quintilianus, *uenio petiturus, uenio oraturus*, pro eo quod est *uenio petitum, uenio oratum*. (3) Ad hanc rem ante oculos collocandam Priscianus in IIII^o maioris, ante finem, facit, sic inquit (4, 36): «Tertia forma in *-dus* terminantium est principalis, id est quae terminationem habet participiorum futuri temporis passiuorum, et significat dignum esset aliquem eo quod demonstratur, ut *laudandus*, laude dignus, *amandus*, dignus amari». Et infra: «*Legendus*, id est dignus legi, *loquendus*, dignus de quo loquantur homines». (4) Idem Priscianus in 8^o dicit, ubi de tempore disserit, ponens inter gerundia nominaque similia differentiam (8, 47): «Nomina uero supradictae formae similiter quo supra diximus, magis passiuam significationem habent, *faciendus*, id est qui debet fieri, *sequendus*, id est quem debet sequi, *loquendus*, id est quem debemus loqui».

[2] 279. Omnia gerundia, cum substantiuis sociata sunt, passiuae accipiuntur, disiuncta uero actiuae. Non nunquam passiuae cum sine praepositione et sine genere in casu ablatiuo quasi absolute usurpantur, ut apud Virgilium (*Georg.* 3, 454):

«Aliter uicium crescit tegendo»,

hoc est cum tegitur uicium; et (ibid. 3, 215-16)

«Vritque uidendo

Femina»,

hoc est dum uidetur; et (*Buc.* 8, 71)

«Cantando rumpitur anguis»,

id est dum cantatur. (2) Item apud oratores, ut apud Marcum Eurylium (*Quint.* 11, 2, 1): «Sed memoria excolendo, sic alia omnia augetur», hoc est dum excolitur. Laurentius Vallensis in memorato 29 capitulo, circa finem, et Nicolaus Perottus in eo de gerundiuis capitulo attestantur (fol. 14r.).

[3] 280. «Accusatiuus gerundiui cum praepositione non modo actiuae sed et passiuae sumi solet. Actiuae, ut *tu es idoneus ad discendum*, passiuae, ut *haec res est facilis ad discendum*». Hoc Laurentius in eodem 29 capitulo, in fine scribit.

[4] 281. Genitiuus gerundiui singularis cum plurali genitiuo sine uicio legitur copulari, Liuius (21, 41, 1): «Non enim uereor nequis me hoc uestri adhortandi causa magnifice loqui existimet», *adhortandi*

enim singularis numeri est, *uestri* pluralis. Item Cicero 2^o *De diuinatione* (2, 39): «Dolebas tantam stoicos nostros epicureis irridendi sui facultatem dedisse». Plautus in *Captiuis* (852):

«Nominandi tibi istorum magis quam edundi copia».

[5] 282. Vt elegantius per gerundium in *-um*, seu accusatiui casus sine regimine quam cum regimine loquimur, ut *ad salutandum fratrem, ad salutandam sororem, ad salutandum sidus, ad salutandos fratres, ad salutandas sorores, ad salutanda sydera*, dicitur ornatius quam *ad salutandum fratres*, ut supra, in fine regulae 272 dixi. (2) Sic de gerundio in *-di* siue genitiui casus, dici potest. Elegantius quidem profertur *studeo Virgilio legendi gratia* quam *studeo causa legendi Virgilium*, praesertim cum et hic cum regimine dicendi modus apud auctores rarus sit, ut et in 8^o Priscianus attestatur, quem textum, supra, in 275 regula, ante medium, refero.

[6] 283. Gerundia et supina non modo a uerbis personalibus secundum antedicta, sed et ab impersonalibus utriusque uocis, actiuae scilicet et passivae, haberi possunt. Impersonalia tamen actiuae uocis ex se perfecta fere omnia supinis participiisque inde fluentibus egent, ut *poenitet, pudet, piget*, ex se profecta. Dico propter ea quae ex uerbis personalibus oriuntur, ut *contingit, euenit, accidit, placet, licet* et multa alia a Prisciano in 8^o 11^{que} relata, quibus supina participiaque conueniunt. (2) Nam et *licet, licebat* facit, *licendi, -do, -dum, licitum, -tu*, et inde *licitus* Virgilius in 8^o (*Aen.* 8, 468):

«Et licito tandem sermone fruuntur».

Fere dixi propter *pudet*, cuius apud antiquos *puditum puditusque* leguntur. Plautus in *Bacchidibus* (379):

«Neque mei neque tui te intus puditum est factis quae facis».

Et *miseret, miserebat, misertum, -tu*, et *miserus reddit*; et *taedet* ex composito *pertaesum* et *pertaesus* potest facere, licet haec supina participiaque non recolam me legisse. (3) Quod autem gerundia talia impersonalia habeant declarat Priscianus in XI^o (11, 20), tollens ab his impersonalibus duntaxat supina participiaque inde uenientia. Et hi qui in nono *Doctrinalis* scribunt, circa finem, ibi (8, 1.514):

«*Militis essendi causa praecor arma parari*».

Si *essendi* pro *interessendi* ponitur, ut in 276 regula fuit expositum. (4) De uerbis autem impersonalibus passivae uocis dubitari non debet quin gerundia supinaque habere possint, ut tunc modo supinis careant, cum haec uerbis a quibus descendunt non competunt. Nec abs re dixi *haec impersonalia gerundia supinaque habere*. Donatus enim utroque post impersonalia passivae uocis immediate constituit, et Priscianus in VIII XI^{que} peraperte haec omnia inuit. (5) In octauo nanque, ubi de uerbis defectiuis disserit, sic eleganter ait: «Item impersonalia uerba, quae ex se nascuntur deficiunt per tempus futurum in modo infinito, ut *poenitere, poenituisse, pudere, puduisse, pigere, piguisse* quamuis antiqui *puditum ire* dicebant et *puditum* participium, ut Plautus in *Bacchidibus* (379):

"Neque mei neque tui te intus puditum est factis quae facis".»

(6) Idem Priscianus in XI^o, carta 5^a, ibi (11, 20): «Similiter impersonalia deficiunt in supinis et participiis quae ex supinis nascuntur, ut *piget, pudet, taedet*, quamuis quaedam *puditum* posuerunt, ut Plautus in *Bacchidibus*:

"Neque mei",

et cetera, *poenitet, liquet, libet, licet, oportet*. Sed compositum *pertaesum* inuenitur, et *poenitens*, unde *poenitentia*, et *libens* et *licens*, unde *licentia* et *licitus*. Virgilius in 8^o:

"Et licito tandem sermone fruuntur".

(7) Sciendum tamen quod haec omnia inueniuntur perfectorum declinationem habentia in usu ueterum, teste Capro, *pigeo, taedeo, pudeo, poeniteo, liqueo, liceo, libeo, oporteo*, quomodo *placeo, contingo, euenio, uaco, attineo, accido, iuuo, delecto*, quorum tertiae personae impersonalium uice funguntur. (8) *Placet, contingit, euenit, uacat, accidit, attinet* non tamen etsi participia deficiant, deficiunt et uerba, illa enim ex eis, non tamen ista ex illis nascuntur. Constat autem ex impersonalibus uocis passivae participia proficisci». (9) Vnde Priscianus 2^o minoris, circa medium, capitulo *Impersonalia autem*, sic ait (18, 53): «Sed si quis et haec et omnia impersonalia passivam scilicet terminationem habentia uelit penitus inspicere, ad ipsas res uerborum referuntur et sunt tertiae personae, etsi si prima et secunda deficiant. Quod etiam in libris de uerbis ostendimus. Vnde et participia inueniuntur, ut *curritur cursus*, hinc

"Decurso iam spacio",

Terentius in *Adelphis*. (10) Et infra: «Hoc etiam sciendum quod supradictorum tria quidem habent praeteritum impersonalium: *poenituit, pudit, piguit*; duo uero participia more neutrorum passiuorum: *misertum* et *pertaesum*, cuius simplex in usu non est, quamuis *taedium* dicatur». (11) Haec *Catholicon* in tertia

parte sui operis, capitulo *De gerundiis*, corroborat et confirmat. Dixi supra, in hoc libro, regula 262 plenissime. (12) Ex his recte dici potest *causa poenitendi peccatorum oro, taedendo tui fugio, ad pudendum scelorum pigendumque malorum es deditus, ego uado misertum tui, res misertum digna facilisque pertaesum, et cantando curritur*, id est dum cantatur fit cursus. (13) Illum autem pulcherrimum Prisciani textum, sub eodem capitulo *Impersonalia autem, § Infinitiuua uero*, carta XI, praetermittere non possum, ubi sic inuenio (18, 57): «Infinita uero uerbi sui constructionem ad casus seruant, ut *miseror tui, misereri tui uolo, noceo tibi, nocere tibi uolo, accuso te, accusare te uolo, potior illa re, etiam illius rei, etiam illam, potiri illam, etiam illius, etiam illa re uolo*. (14) Simpliciter eisdem casibus participalia uel supina, quae uim infinitiuorum habent, quae cum articulis construuntur apud Graecos, copulantur: *miserendi tui causa facio, miserendo tui moueor, miserendum est tui, misertum tui uenio, misertum tui doleo, nocendi tibi causa ueni, nocendo tibi proficio, nocendum est tibi, nocitum tibi propero, nocitu tibi gaudeo, pro in nocendo tibi*. Similiter alia *dignandi praemia, dignando praemio, dignandum praemio, dignatum praemio, dignatu praemia*. (15) Sciendum tamen quod praepositione frequenter ante supradicta in *-dum* uel in *-do* desinentia ponuntur. Ex quo magis nomina esse ostenduntur, nisi quod in metro in *-o* translatio more uerborum corripitur, ut Iuuenalis in primo (1, 3, 232 -34):

"Plurimus hic egor moritur uigilando, sed illum
Langorem peperit cibus imperfectus et haerens
ardenti stomacho alterius auidus"».

[7] 284 super gerundiis et supinis participiisque uerborum anomalorum est, ex Nicolai Perotti sententiae, qui in capitulo de uerbis anomalis, quattuor esse ponit (fol. d8u.): *Sum, uolo, fero, edo*. Dicuntur autem anomala quia nullius coniugationis sequuntur regulam. Gerundia huius uerbi *sum* sunt *essendus, -da, -dum*, supinis caret; habet unum participium, *ens* duntaxat. (2) *Volo* gerundiuua habet *uolendus, -da, -dum*; supinis caret; unum participium *uolens* habet. *Fero* gerundia *ferendus, -da, -dum* sunt; supina *latus, tu*, participia duo: unum praesentis temporis, *ferens*, alterum futuri, *laturus*; sed a *feror* trahuntur duo: unum praeteriti temporis, *latus*, alterum futuri, *ferendus*. (3) Verbo *edo* gerundia *edendus, -da, -dum*; supina *esum, esu*; participia *edens et esurus*. *Eo* sibi pro gerundiis uendicat *eundus, -da, -dum*, supina *itum, -tu*, participia *iens, euntis et iturus*. *Quaero* similiter pro gerundiis *quaendus, -da, -dum*; pro supinis *quitum, quitu*, proque participiis *quiens, quaeuntiset quiturus* sibi dari petit. (4) *Fio* gerundiis caret; *factum, -tu* pro supinis habet, et unum participium *factus, -a, -um*. *Gaudeo* gerundia sunt *gaudendus, -da, -dum*, supina *gauisum, -su*; duo participia: *gaudens, gauisurus*. (5) Priscianus tamen in XI^o, carta 4^a, ubi de participiorum agit significationibus, super *fio* et *gaudeo* aliter explicat (11, 28): «Neutropassiuua, quae sunt quinque, trium temporum habent participia, ut *gaudeo, gaudens, gauisus, gauisurus; audeo, audens, ausus, ausurus; soleo, solens, solitus, soliturus; fio, fiens, factus, futurus*, differentiae causa, ne si *facturus* dicamus simile sit participio quod uenit a *facio*, quod uim actiuam possidet *fio* uerbi, unde a supino eius nascitur, passiuum praeteriti participium et futurum actiuum *factum, factu, factus, facturus; fido* quoque *fidens, fisis et fisurus*». (6) Et infra (11, 30): «A uerbo *sum*, quod est anomalum, ueteres praesentis temporis proferebant participium *ens*, unde componitur *potens*, nam *futurus* magis a *fio* uerbo uidetur nasci. Potest tamen etiam a *fui* esse existimari». (7) Et quod de tribus participiis uerborum neutropassiuorum Priscianus ait, *Catholicon* in tertia parte, capitulo *De participiis*, circa finem (3, 94) refert et confirmat. Ideoque hos duos magis quam Nicolaum Perottum sequendos puto, cum in his multo maior sit auctoritas artificiosiusque loquantur, praesertim cum et haec ipse Nicolaus in capitulo de participio, circa medium, confirmat et approbat. (8) Tandem Nicolaus Perottus adiungit (fol. e5r.): «*Memini* futuro infinitiuui gerundiis, supinis et participiis caret. Similiter declinantur *odi, odisti, odit, noui, nouisti, nouit, coepi, coepisti, coepit*». Posthac in capitulo de participio quaerit: «Quot sunt participia quae carent participiis praesentis temporis? *Odi, noui, coepi* et *memini*, quia praesenti carent, quamuis ueteres *meminens* dixerint». (9) Priscianus autem super participiis horum quattuor uerborum defectiuorum ait in XI (11, 19): «*Coepi* non habet praesens et futurum nec participium, sed tantum praeteriti *coeptus*. Similiter *odi, noui, osus*, ex quo *perosus* et *exosus, notus*. Plautus in *Amphitruone* (900):

"Inimicus semper exosum obtuerier",
et uerbale tantum nomen ex eo protulit. Idem Plautus in *Asinaria* (859):
"Scito illum madidum incontinentem atque osorem
uxoris suae".

Et *memini, meminens*, quia *memini* tam praesentis quam praeteriti uim habet, quomodo *odi*, unde et *osus*, quo pro praesenti et *meminens* pro praeterito licet accipere, nam *nosco* praesens *noui, noscens* facit». (10) Et infra (Prisc. 11, 4): «Inueniuntur tamen pauca nomina et ablatiuum sequentia, ut *dignus illa re, mactus*

uirtute, accusatiuum figurate, ut *exosus bella, praescius futura*». De his latius supra, libro 4^o, regula 169, dixi, ubi et hunc textum inserui, ut res apertius ante oculos haberetur, et firmiter memoria teneretur. Nam Seneca referente: «Nil obliuioni tradidi, nisi quod saepe non legi». (11) Animaduertendum tamen est Nicolaum Perottum in impersonalium utriusque uocis declinatione (fol. i1r.) nulla nec gerundia nec supina nec participia retulisse, quod fuit ideo, quod in rarissimo sint usu, non tamen expressit impersonali uerba carere illis, ut significaret ex arte secus esse. Qua propter, quod suprascripti tenere potes.

[8] 285. Inter infinitiuum gerundiuumque primum et supina secundum Petrum Heliae *Doctrinale*que et scribentes ibi, magni refert, si eorum attendatur constructio. Infinitiuum nanque primaque gerundia cum uerbo quietem significante, supina uero cum uerbis motum localem significantibus construuntur, sed primum supinum cum motu ad quem, ut *uado uenatum*, secundum cum motu a quo, ut *uenio uenatu* (2) Item infinitiuus a primo gerundiuo differt. Infinitiuus enim cum uerbo quietem notante sine aliquo medio potest constitui, ut *uolo legere*, gerundiuum autem cum medio, ut *sum hic legendi causa*. Insuper gerundia non modo cum uerbis quietem dicentibus, sed et cum uerbis motum localem notantibus coeunt, ut *uenio causa orandi deum*, quod nunquam infinitiuo faciunt. Non enim congrue dicitur *uado comedere*, licet theologice reperiatur *uado parare uiam domino*, sed Theologiae regulae grammaticalibus praeceptis non subsunt. (3) Est ergo inter infinitiuo gerundiaque differentia. Infinitiuus nanque cum uerbis quietem motumue significantibus sine medio possunt constitui, ut *uolo legere, uado parare pascha*, sed hoc ultimum fit theologice. Gerundia uero prima cum utrisque cum medio huius ablatiuo *causa* similisue uel nominis adiectiuo, ut *audio causa* uel *gratia* uel *ratione discendi, uado causa legendi* uel *gratia* uel *ratione audiendi diuina officia, sum peritus orandi*. Deinde infinitiuo uerbi actum motumque absolute significant, ut *uolo legere* uel *currere*. (4) Gerundia uero in respectu et in dispositione ad terminationem incerta, supina uero per respectum ad terminum localem proprium. Ideo quasi aduerbialiter collocantur, si cum uerbis, ut nomina localia propria, construuntur, unde gerundia supinaque cum uerbo significante motum coniunguntur, quippe motum cum dispositione tamen locali dicunt. Ideoque cum uerbo omni motum significanti possunt constitui. (5) De supinis uero plene mox dicetur, etiam iuxta elegantium sententiam. Postquam de gerundiis satis dictum est, si prius huius regulae factae fuerit confirmatio, quae circa finem noni *Doctrinalis* est, ubi sic habetur (9, 1.516-18):

«Infinitiuo primum distingue supinum
Atque gerundiis primis suprema supina
Si iungam uerbo, per quod motum tibi signo»,

et hic glossatores uideantur nec Petrus Heliae circa finem minoris omittatur.

CXII. De supinis.

[1] 286. Supina sunt quae a passiuo participio, quae quidam supina nominarunt, ueniunt. Et in *-tum -tuque* desinunt, ut *amo, -as, -aui, amatum, -tu*. Et a *supino, -as, -are* dicuntur, quod est uersare, supinum facere, et *supinus, -a, -um* reuersatus est. Nam supina quasi supinata, id est deriuata et inflexa a suis uerbis sunt. (2) Et a *supinus* per syncopam *supus, -pa, -pum* dicitur, et *supino* cum *re* compositum *resupino* facit, unde *resupinus, -a, -um*. Et *supino* cum omnibus suis compositis est actiuum et per unum *-p-* debet scribi, nam primam corripit, unde Ouidius (*Her.* 16, 257):

«Et non cantabam ueteres resupinus amores».

Hanc regulam Priscianus in VIII^o (8, 44) et *Catholicon* in *supino* probant.

[2] 287. Ex praeteriti temporis participiorum forma duae terminationes fluunt, quarum prior in *-um*, altera finit in *-u*. Et prior quidem eandem fere significationem habet, quam in *-dum* desinens cum praepositione *ad, uenatum* nanque ad uenandum significat. Virgilius III^o *Aeneidos* (4, 117-18):

«Venatum Aeneas unaque miserima Dido
In uenus ire parant»,

id est ad uenandum. (2) Altera quidem uidetur ablatiuus nominis ipsius, quo ipsa res significatur, carens praepositione quoque. Nil aliud est *miserabile uisu* nisi uisione, uisio nanque tam actiue quam passiuue proferri potest. Et infinitiuorum uis in rei nomen resoluitur. (3) Haec Priscianus in 8^o, ubi de gerundiis supinisque docet, ait, et Petrus Heliae super eodem 8^o confirmat. Et super aduerbio *fere* dicit (Reilly 503): «Fere tamen Priscianus ait quod, ut in sequentibus determinat, non solum actionem significat, sed etiam locum, ut *uado uenatum*, id est ad locum ubi uener. Quemadmodum et propria ciuitatum nomina

sine praepositione significant ad locum, ut *uado Romam*. (4) Et est supinum terminatum in *-um* quasi accusatiuus eius nominis ipsius rei, quod quartae declinationis est, ut *uenatum* accusatiuum est eius nominis quod est *uenatus, -ui*. Differt tamen quod *uenatum* cum ponitur in ui accusatiui ipsius nominis uenationem significat, non secundum quod inheret, sed nominando. *Venatum* uero supinum eandem uenationem significat, sed secundum quod inheret». (5) Et infra (Reilly 1.026): «Priscianus quoque addit supinum terminatum in *-u*, ablatiuus est nominis ipsius rei, et debet poni sine praepositione, ut *uenio uenatu*. Similiter *uenio auditu missam* et similia. Et uide quod *legendi* significat actionem et passionem. Ideo potest construi cum accusatiuo ad modum sui uerbi actiui, ut *causa legendi Virgilium uenio*. Et in ui passiuui cum ablatiuo ad modum uerbi passiuui, ut *uenio causa legendi ab aliqua*, id est ut legatur ab aliquo. (6) Haec Petrus Heliae, qui per id quod de primo gerundiuo dixit, de aliis supinisque innuit debere intelligi. Tamen ipse, in carta penultima secundi minoris, de ipsis supinis, de quibus impraesentiarum agit, dixit expresse: «Duo ultima supina significant actionem et passionem, et quandoque cum accusatiuo, quando cum ablatiuo construuntur, ut *uado auditum ab illa* id est ad locum ubi audiar ab illo, et similiter *uenio auditu ab illo*». Et hoc in *Doctrinalis* nono circa finem, ibi (9, 1.507): *actum siue pati*, et scribentibus ibi latius explanatur, sed cum de primo, tum de ultimo supino secundum recentiores elegantioresque auctores mox aliter conscribetur.

[3] 288. In gerundiuorum speciem supina a uerbis actiuis et neutris transitiuus communibusque descendencia simul actiuam passiuamque significationem duplicem constructionem habere possunt. Cetera suorum uerborum significationem constructionemque sectantur, ut *uado abstentum irarum, uenio abstentu irarum, uado tibi seruitum, uenio seruitu tibi, uado arsum igne, uenio arsu flamis spiritus sancti, uado misertum tui uel tibi, uenio misertum tui uel tibi, uado patrocinatedum te, uenio patrocinatedu te, uado passum molestias a te, uenio passu molestias a te* (2) Priscianus enim VIII^o maioris sic ait (8, 48): «Sicut autem supra docuimus communem habent significationem ab actiuis uel communibus nata, ut *oratum, -tu, uisum, -su*. Supina uero nominantur quia a passiuus participiis quae quidam supina nominauerunt, nascuntur». (3) Petrus Heliae et expositor antiquus et modernus hic et 2^o minoris, et *Doctrinale* cum suis comentatoribus, ubi supra, plenius corroborant et confirmant.

[4] 289. Gerundiuorum instar iuxta Prisciani sententiam a Petro Heliae confirmatam supina nomina uidentur esse. Priscianus enim in eodem 8^o, post modorum expositionem, ait (8, 70): «Supina uel participalia, cum nec personas discernant et temporibus careant, quibus sine uerbum esse non potest, et cassus assumant et praepositionibus separatis adiungantur, sine dubio mihi nomina esse uidentur. (2) Quae tamen loco infinitiuorum ponuntur tam actiuorum quam passiuorum. Nec per se ea solummodo posita pro infinitis accipiuntur, sed etiam eiusdem formae indubitabilia nomina aliis adiuncta nominibus secundum eundem casum, ut Cicero in primo *Inuectiuarum* (1, 1, 1): "Nihil enim minutissimus habendi senatus locus", id est tutus habere senatum». Deinde ponit differentiam inter nomina uerbalia in *-dus* terminata et gerundia et supina, quam supra, in regula 275, perscripsi. (3) Porro iuxta Quintiliani sententiam, ut gerundia potius nomina participalia sunt dicenda, sic et supina participalia uerba, ut Laurentius, libro I^o, capitulo 29, refert in principio, quem supra, regula 267, memini. Id quod Nicolaus Perottus in capitulo de supinis sic confirmat, in principio (fol. i4u.): «Supina cuius partis orationis sunt? Secundum Quintilianum sunt uerba participalia, sicut gerundia a quibusdam dicuntur nomina participalia. Ideo non est dicendum quod sint alicuius casus». (4) Hoc itaque multum abhorret ab his quae supra, in 287 regula, auctoritate Prisciani Petrique Heliae, dicta sunt. Nam et Petrus Heliae in carta penultima secundi minoris quaerit (Reilly 1.026): «Vtrum supina in ui nominum aliquando ponantur, aliter enim non essent nomina. Et Priscianus ostendit quod cum dico *mirabile dictu*, ibi *dictu* in ui ablatiuui sumatur nec iam designat locum». Et haec *Doctrinalis* glosatores circa finem capituli noni sequuntur. (5) Vnde Laurentius eodem libro primo, capitulo 31, scite, sed elate, sic inquit: «Quintilianus uocat uerba participalia. Et libet castigare uulgus imperitum grammaticae professorum, qui uniuersum sane orbem stulto errore peruertunt, sic semper loquentes *eo lectum, uenio lectu, pergo auditum, reuertor auditu*. Qui error unde profectus et quo errore imperitiae emanarit nescio, summoque opere allucinationem publicam admiror, quod tam diu a nemine animaduersus est». (6) Illud tamen praetermitti non debet, quod Priscianus, licet dicat ultimum supinum uideri ablatiuum nominis ipsius, quo res significatur ipsa, non tamen ait ut locum a quo significet, et cum uerbo motum a quo denotante debeat subiungi, ut *uenio uenatu*, id est a loco ubi uenabar, uti Petrus Heliae sequacesque dixerunt. (7) Sed in 8^o expressit quod sicut primum supinum, sic et hoc secundum praepositione careat, quid est *miserabile uisu* nisi uisione? Visio enim tam ex actione quam ex passione proferri potest. (8) Idem in fine

secundi minoris ait (Prisc. 18, 156): «Ad eos autem casus quibus coniungitur indicatiuus, necesse est potius uerbi declinationem construi, et participia et supina, ut *amo illum, amans illum, amandi illum causa curro, amando illum uigilo, amandum est illos, amatum illum eo*. Nam in *-u* desinens supinum magis nom inatiuo iungitur. Virgilius in III (*Aen.* 3, 621):

"Nec dictu facilis nec uisu affabilis ulli".»

(9) Ex his omnibus consequens est dicere potius Prisciano Quintilianoque et Laurentio Vallensi Nicolaoque manifestius loquentibus quam Petro Heliae eiusque sequacibus fidem adhibendam esse, ut per dicenda res quidem fiet apertior. (10) Nam et Priscianus in ultimo supino no satis accurate et perspicaciter est locutus ut Quintilianus sequacesque dixerunt.

CXIII. De differentia inter gerundia et supina.

[1] 290 regula est, licet secundum Priscianum in minori inter *amandum* gerundium et *amatum* supinum hoc intersit, quod *amandum* necessitatem amoris, *amatum* uero iniciationem ad amorem significet, tamen secundum Laurentium uerius fortasse dicentem (*Eleg.* 1, 29): «Talis non admittenda est differentia, sed dicendum est quod supinum nunquam fere sine uerbo motum ad locum significante sit, ut *eo* et *uenio*, quod de postremo gerundio dici non debet».

[2] 291. Prisciano teste, in altero maiori uolumine (8, 62): «Nobilis cum ingenii tum laboris frequenter antiquissime neutro participio futuri addebant *esse* et infinitum futuri significabant, ut *oraturum esse* pro *oratum ire*. Priscianus enim in IX^o, ultra medium, in fine coniugationis primae, sic notanter ait (9, 39): «Quod in *-um* desinens supinum, accepto uerbo infinito, quod est *ire*, facit infinitum futuri, ut *oratum ire, locutum ire, statum ire* (2) Frequenter tamen et antiquissimi neutrali participio futuri addebant *esse* et infinitum futuri significabant *oraturum esse* pro *oratum ire* dicentes, et *factorum esse* pro *factum ire* Cato in V^o *Originum* (*Orig.* 5): "Illi polliciti sese facturum omnia", per eclipsim *esse* pro *factum ire*. Lucilius in XVI^o ad Penelopen (17, 4):

"Nupturum te nuptam negas quod uiuere Vlixen speras".

In hoc quoque subaudiendum est *esse*, id est *nupturum esse* pro *nuptum ire*. Et Petrus Heliae hic ante de defectiu tractatum haec confirmans uideatur. (3) Qui in carta finali minoris uoluminis super hac circumlocutione futuri infinitiui quaerit an ibi *lectum* ut participium uel gerundium seu supinum, et dicit quod *lectum* accusatiuus ibi gerundii seu supini, sed non in ui accusatiui, sed aduerbialiter ponitur, quasi ad locum designans. Ad haec uide quae circa finem noni *Doctrinalis*, in lectione *Actum siue pati*, per glosatores et me in *Doctrinali* meo perscripsi. (4) Enimvero licet Priscianus inter *oratum ire* et *oraturum esse* differentiam non faciat, sed *oraturum esse* pro *oratum ire* sumptum esse dicat, tamen Laurentius Vallensis: «Saltem duplex est differentia. Nam futurum ex primo supino et infinitiui *ire* compositum actionem et motum uerbi *eo* recipit protinusque *ire* significat, uelut quod temporis sit praesentis, quorum contraria in altero futuro ex participio neutrali futuro et infinitiui *esse* composito, ut *oraturum esse* reperimus». (5) Vnde Laurentius in eo libro primo, capitulo 30, post principium, sic ait: «Sed dico aliud esse *ego quidem cenaturus sum*, non tamen *eo cenatum* siue *ad cenandum*, et *scio te cenaturus es*, sed non protinus *ire cenatum* uel *ad cenandum*. Nam participium futuri cum uerbo substantiuo non habet actionem illam et motum, quem habet uerbum *eo*. (6) Et infra: «Denique non idem est *oratum ire* et *oraturum esse*, alterum praesentis temporis est, ut *uideo te accusatum ire me*, id est nunc; alterum futuri, ut *uideo te accusaturum esse me*».

[3] 292. Futurum infinitiui passiu cum infinitiui *esse* iuncto cum ultimo gerundio magnam habet conuenientia, ut idem sit *damnandum esse* et *damnatum iri* uerba demo ad futurum spectantia, ut *timeo, metuo, uereor, spero, cupio*, quae non idem reddunt, sed maior cum participio passiuo futuri est differentia, ut *timeo poenam illatum iri* potius dici debet quam *inferendam esse*. (2) Laurentius enim in ipso XXX^o capitulo sic ait: «Atque in passiuo fuerat uerisimilius, si dixisset, quo etiam frequentius utuntur auctores, idem esse *damnandum esse* et *damnatum iri*, nam eodem loco dicere possumus *credo peccatum meum resciscendum esse* et *rescitur iri*. Item *intelligo, scio, uideo, opinor, existimo peccatum meum patefaciendum esse* uel *patefactum iri*, et cetera uerba huiusmodi. (3) Illa autem quae ad futurum respiciunt, ut *timeo, metuo, uereor, spero, cupio* non idem faciunt, quibus maior differentia est cum passiuo participio futuri, ut *uereor peccatum meum patefactum iri* magis quam *patefaciendum esse, cupio culpam meam celatum iri* potius quam *celandam esse*. Item *timeo peccatum meum patefactum iri*, et pro illo modo per passiuum participium futuri substituimus

hunc *timeo peccatum meum ne patefiat uel ut patefiat*, quod fieri nequit in aliis uerbis. Non enim licet dicere *scio peccatum meum ut resciscatur*, sed *rescitur iri uel resciscendum esse*.

[4] 293. Infinitiuu passiuu futurum in utrunque membrum futuri infinitiuu actiuu uel in ultimum gerundiuu eiusdem uerbi significationis passiuae cum infinitiuo *esse* resolui uel pro eis sumi potest, ut *perspicio me ab te amatum iri* resoluatur in sequentia: *perspicio te amatum ire me* uel *amatum esse me* uel *abs te me amandum esse* uel dici potest illud pro his surrogari posse. Laurentius enim in fine capituli XXX hoc confirmando dicit: «Tamen *accusatum iri me abs te uideo* accipitur pro eo quod est *uideo te* uel *accusatum ire me* uel *accusatum esse me* uel *abs te accusandum esse me*.

[5] 294. Iuxta Prisciani auctoritatem in maiori (18, 63): «Inter *amando* et *amatu* hoc interest, quod *amando* est in ipso amore, *amatu* uero pro amatione uel pro amore, id est pro ipsa re». Paulo post subiicit: «Accipitur *uenatum* pro ad uenationem quomodo *uenatu* pro uenatione, sicut *miserabile uisu* pro uisione, ut

"Nec uisu facilis nec dictu affabilis ulli",

pro uisione et dictione. Multis ergo modis, sicut in aliis docuimus locis, nomina sunt haec accipienda magis quam uerba». (2) Laurentius autem in XXXI^o libri primi capitulo a Prisciano dissentit: «Nam Quintilianus ait aliud esse *dictu factu*que quam *dicto et facto*, quae Priscianus appellat dictione et factione, et Quintilianus uocat uerba participalia, sicut gerundia a multis dicuntur nomina participalia». De hoc plenius hic regula 267 et 289 dixi.

[6] 295. Secundum Laurentium in eo ipso capitulo 31, post principium, inter *uisu auditu*que nomina et inter *uisu auditu*que uerba sane est differentia, nam quando sunt nomina, corporis sensus significant cum adiectiuis coniunguntur casus regunt et a uerbo participioque reguntur seruiante praepositione quoque, ut *toto uisu oculorum careo*, *antea aurium auditu priuatus*. (2) Haec omnia ab ultimo supino sunt remota, quippe non rem, non substantiam, non qualitatem sed actionem siue potius passionem uerbi significat, cum adiectiuo non iungitur casum non regit nec a uerbo nec a participio, sed a nomine tantum eodemque adiectiuo gubernatur, nunquam praepositione interueniente quidem, ut *miserabilis uisu*, id est cum uidetur, non autem miserabilis sensu uidendi. (3) *Non facilis uisu*, id est ut uideatur uel facilis ad uidendum, non autem quod habeat uisum facilem. *Non affabilis dictu*, id est ut dicatur, non autem ut dicat. *Optimum factu* ut fiat, non autem ut faciat. *Difficile fatu* quia difficile ad fandum est. *Incredibile memoratu*, cum memoratur, non memoracione. *Dignum auditu*, quod est dignum audiri, non ut sensu audiendi potiat. *Impossibile creditu* ut credatur, non credito. *Res iocunda cognitu* ut cognoscatur. *Absurdum relatum*, cum refertur. *Obsenus aspectu*, cum aspicitur. (4) At *homo superbus dicto et dictis*, non *dictu*. *Saeuius factu et factis*, non *factu* id est cum dicit, non dicitur, cum facit, non cum fit. *Res uero saeua factu et dictu* quando fit aut quando dicitur, non quia facit et dicit. *Scipio darus administratione bellando* dicitur et *administratu bellorum*, quando est ablatiuus, id est administratione. At *res publica digna est administratu* uerbum est, id est ut administraretur, nisi addendo genitiuum facias nomen: *administratu Catonis*. (5) Quare in Virgiliano illo (*Aen* 3, 621) quod attulit Priscianus:

"Nec uisu facilis nec dictum affabilis ulli",

cum genitiuus absit, non est nomen pro uisione et dictione, ut ille dicit, sed uerbum pro eo quod est ad uidendum deicendumque. *Multi de cultu agrorum scripserunt* nomen erit, id est de cultione culturaque agrorum; *locus autem saxosus non est cultu dignus*, nempe ut colatur uel dignus coli. (6) Ideoque cum ex omnibus uerbis passim liceat uti talibus supinis, raro tamen eisdem uocibus utimur loco nominum. Quis enim dicat *tu es priuatus amatu meo*, *exclusus a doctu meo*? Profecto nemo. Ex quo apparet cum in usu uulgatissimo sint pro uerbis, non posse inter nomina numerari.

[7] 296. Siqua sint uocabula, quae ambiguum uerbi et nominis usum habent, considerandum erit utram in partem accipiantur conuenientius, ut *tu gubernatu dignus es*, si pro gubernatione, nomen erit. Si pro eo quod est *ut gubernaris* uel *dignus gubernari*, uerbum. Sed nomini genitiuum accomodare solemus aut debemus, uerbo autem econtrario.

[8] 297. Ex duobus supinis alterum actiuo uerbo, alterum passiuo dari possit, ut *amatu* ab *amo*, *amatu* ab *amor* fit. Hae duae regulae ab Laurentio in eodem 31 capitulo, in fine comprobantur.

[9] 298. Iuxta Nicolai Perotti Laurentio assentientis sententiam, in capitulo de supinis (fol. i4u.): «Supina participalia sunt uerba, ueluti gerundi nomina sunt huiusmodi. Ideo supina non alicuius casus sunt, ut nec primum accusatiui casus nec secundum ablatiuu dici possint, licet indocti putent contrarium. Non tamen primum supinum a gerundiuo differt, nisi quod supinum nunquam fere sine uerbo motum ad locum significante sit, ut *eo* et *uenio*. (2) Nam illa *do filiam nuptum*, *do uenum* siue *uenum do*, *ades spectatum*,

admisi sumus, latentem in se motum obtinent. Gerundia non ita. Alioquin *uado uenatum* et *uado ad uenandum* significarent idem. (3) Vltimum supinum non est casus ablatiui nec alterius nec uerbo iungitur, ut *uenio lectu*, quemadmodum uulgus grammaticorum putat, nec cum adiectiuo copulatur nec a uerbo nec participio reguntur, sed a nomine tantum eoque adiectiuo sine aliquo praepositionis medio, ut *miserabilis uisu*, id est cum uidetur, *facilis uisu*, id est ut uideatur uel facilis ad uidendum, *affabilis dictu* ut dicatur, *optimum factu*, is est ut fiat, difficile factu, id est difficile ad faciendum. Postquam de participiis gerundiuis est supinis satis dictum est, iam de nominibus uerbalibus exponetur.

CXIV. De nominibus uerbalibus.

[1] 299 regula super nominibus uerbalibus sit quod nomen uerbale est, quod a uerbo deriuatur. Verbale masculinum desinens in *-or*, ab ultimo supino, mutata *-u-* in *-or*, formatur, ut *amatu*, *amator*, *doctu*, *doctor*. Verbale in *-trix* femininum formatur, a uerbali masculino *-tor* in *-trix* mutato, ut *amator*, *amatrix*, *doctor*, *doctrrix*. Nam quae in *-sor* desinunt, ex se femininum non formant praeter *tonsor*, quod facit *tonstrix*, assumpta *-t-*, unde diminutiuum *tonstricula* et *tonstrina*, et ab *expulsor* *expultrix* uenit. Haec Nicolaus Perottus capitulo de nominibus uerbalibus disserit (fol. i8u.).

[2] 300 regula. Quod uerba transitiuia, id est actiua, neutra deponentiaque in quem aliumue obliquum et communia ex se nomina uerbali in *-tor* et in *-trix* terminata gignunt, quae participiaque praesentis temporis sumpta pro nominibus seu uim nominum habentia in nominaque translata, quae nomina participalia nominanda sunt, cum genitiuis construuntur. Hosque ex ui actus in habitum conuersi regunt, ut *amator dei*, *amatrix uirginis Mariae*, *amans Ioannis Baptistae*. (2) Nomina dixi uerbalia ad remouendum nomina in *-tor* uel in *-trix* terminata a uerbis non fluentia quae tale regimen, scilicet ex ui actus conuersi in habitum, non admittunt. Oportet ut haec a uerbis transitiuis manent, cum secus sit de uerbis absolutis, nam a uerbo *uolo*, *-as*, *uolator uolatrixque* descendunt, quae genitiuum non regunt. Idem de *uictor* et *uictrix* a *uiuo* uenientibus est dicendum. Mentio uero de transitiuis et non de actiuis facta est, ut nomine transitiuorum actiua, neutra, communia et deponentia compraensa forent. (3) Nec abs re dixi *neutra deponentiaque in quem aliumue obliquum*, ut non modo de transitiuis in accusatiuum, sed et in quemuis obliquum fiat intellectus. Nam dicitur *miseror tui* uel *tibi* et *miseror miserensque*, si in nomen transierit, *tui tantum* uel *Petri* uel *Ioannis*, *seruo tibi* et *seruitor seruiensque tui*, *fido tibi*, *fidens illius*, *aro terram*, *terram arator* uel *arans terrae*; *abundo pace*, *abundator* uel *abundans pacis*; *utor uictoria*, *usor utensque uictoriae*. (4) Deinde talia uerbalia accusatiuum uel genitiuum ex ui transitionis regere non debent. Hoc enim regimen non fit ratione actus, sed ratione actus conuersi in habitum. Haec enim uerbalia actum ut habitum significant, et hic habitus ad id cuius est, habet dependentia. Ideo cum hoc casu quod dicit ut cuius debet construi. Talis autem genitiuus est. (5) Haecque uerbalia non actum in actu, sed in habitu significant, non enim *amator* est eo quod amat actualiter, sed quod in habitu sit amandi. Ad cognoscendum autem quid importet regimen ex ui actus conuersi in habitum, est sciendum quod actus dupliciter importatur: priore modo per respectum ad substantiam talem actum agentem, et ita per uerbum importatur actus, nam qui *lego* dicit, significat quod aliquas substantias hunc actum legendi agat. Altero autem per respectum ad substantiam habentem importatur. Et hoc fit ab his nominibus uerbalibus in *-tor* et *-trix* desinentibus, participiisque in nomina transeuntibus, ut *amator*, id est habens amorem, et *amans* quoque sic potest exponi. Et sic de aliis est dicendum. (6) Vnde omnes hae constructiones, *amator uini*, *amatrix uini amansque uini* per *habens* uel *possidens* resolui possunt. Est igitur exponendum ex ui actus conuersi in habitum, id est ex ui actus qui per uerbum notabatur per respectum ad substantiam agentem illum. Cum autem per nomen uerbale importatur ad substantiam habentem respectus habetur. Et ita regimen antedictum locum habet. (7) Vt igitur breuius explanetur, sciendum est per nomen uerbumque denotari actum uel per *amo* et *amator*, sed diuerso modo, quia per uerbum, per modum fluxus et dependentis ad agentem substantiam importatur, sed per nomen res, uerbum per modum habitus et quietis intelligitur, id est per modum apprensionis determinatae. (8) Ideoque res uerbi quae prius significabatur in actu, modo in habitum est conuersa, id est per modum nominis importatur, et sic fit perspicuum qualiter actus conuertatur in habitum. Actus enim per uerbum respectu comparationis ad agentem substantiam importatus, per uerbalis nomen habito ad substantiam agentem respectu inducitur. Cum autem habitus alicuius sit habitus, cum genitiuo uelut dicenti rem suam, ut cuius est aliquid, ordinatur. (9) Sane aliter et subtilius dici potest quod apud logicos secundum Aristotelem Petrumque Hispanum in *Praedicamentis*, prima species qualitatis est habitus et dispositio, sed differunt (*Categ.* 4, 1). Habitus enim qualitas

mobilis difficulter, ut sciam, dispositio uero qualitas est facile mobilis. Eleganter autem dici potest: habitus est qualitas motu difficilis, sed dispositio quae qualitas motu facilis. (10) Vnde actus sub fluxu et mobilitate impotatur, tamen actus per nomen importatus significatur per modum habitus et quietis. Et ita modus fluxus in modum habitus commutatur. (11) Ad haec confirmanda facit quod Priscianus VII maioris, de *-ans* docens, ait (7, 38): «*Amans*, quod nomen est, cum pro amatore accipitur *amantis*». Idem in primo minoris, § *Est tamen quando*, carta 25, dicit (17, 94): «Est tamen quando in uim nominis transeunt participia, et genitiuo coniunguntur, remota uerborum ordinatione, ut *fugitans lites* participium est, *amans illius* nomen. (12) Vnde et comparatur *amans*, *amantior*, *amantissimus*. *Praefectus urbi*, quia participium est, et *praeficior urbi*, *praefectus urbis* nomen est. Participium autem quod comparatione penitus caret, quantum in sua uoce, nam adiectione aduerbii possunt comparari, ut *magis colo* et *magis colens hunc quam illum*». (13) Idem 2^o minoris, § *Verbalia quoque*, carta 3, circa finem (18, 7): «Verbalia quoque in *-or* desinentia uel in *-trix* transitiva, quae a uerbis aliquem actum significantibus fiunt, genitiuo adiunguntur, ut *amo illum*, *amator* et *amatrix illius*; *doctor*, *doctrinx*, *munitrix*, *lector*, *lectrix*, *tonsor*, *tonstrinx*, *mirator*, *miratrix*. Lucanus in VI^o (9, 806-807):

"Impraessit dentes emoreis aspera Tullo
Magnanimo iuueni miratorique Catonis".

(14) Similiter genitiuo adiunguntur participalia plerunque uel participiorum transitiuorum absque tempore uim habentia. Transitiva autem participia sunt, quae a transitivis uerbis nascuntur, ut *amo illum*, *amans illum*, *fido illi*, *fidens illi*, *inuideo tibi*, *inuidens tibi*. Nisi sint passiva, id est futuris passiuorum similia. Tunc enim datiuo uel ablatiuo iunguntur, sicut et participia eiusdem formae, id est in *-dus* desinentia, ut *amans illius*. Similiter *abundans*, *sapiens*, *silens*, Virgilius in I^o (*Aen* 2, 61):

"Obtulerat fidens animi atque in utraque paratus".»

(15) *Doctrinale* dicit in ocatuo (8, 1.156-59):

«Verbum quod transit dat in *-or* uerbale uel in *-trix*.
Praesens participans pro nomine ponitur.
Istos ista regunt casus, ut *amans*, *amator*, *amatrix*.
Cuilibet istorum poteris coniungere *uim*».

Et ibi glosatores uideantur.

[3] 301. Nomina praedictis in similia, hoc est a uerbis transitivis descendunt et actum per modum habitus significantia equiparantur illis in regendo, quippe cum et genitiuum per modum actus in habitum conuersi regant, ut *cupidus ludi timidusque flagelli*. Haec enim praedictis nominibus uerbalibus in *-tor* uel *-trix* uel participiis in *-ans* terminatis uim nominis habentibus sunt per omnia praeter uocem similia, nam et a uerbis transitivis oriuntur actumque per modum habitus significant et per habens possidensque resolui possunt, ut *cupidus*, id est habens cupiditatem, et *timidus* habens timiditatem. Ideoque profecto cum genitiuis ex ui actus conuersi in habitum construuntur. (2) Non tamen intelligas quod uerba a quibus descendunt uerbalibus in *-tor* uel in *-trix* terminatis careant. Nam quae supina tenent, et ipsa uerbalia pariunt, ut *cupio*, *-is*, *-iui*, *-itum*, *cupitor*, *cupitrix* et *cupidus*, quae quid omnia cum genitiuo ex ui actus conuersi in habitum construuntur. Et de *auo*, *auidus*, et de *timeo*, *timidus*, quae tamen cum supinis careant, uerbalia in *-tor* uel in *-trix* terminata parere non possunt. Et per haec debes similia intelligere, ut quae per uerbalia praelibata resolui possunt, ut *cupidus ludi*, id est *cupitor ludi*, *nescius rei*, id est *nescitor rei*, *rapidus pecuniae*, id est *raptor pecuniae*. (3) Nam et nomina adiectiua, quae proprietatem significant per comparationem ad substantiam habentem causam suam dependentem ad alium, ut cuius hoc funguntur regimine, ut *dubius*, *anceps rei*, *ignarus scientiae*, *inops pecuniae*, *reus culpa*, *consciis peccati*, *stultus et rudis rerum agendarum*, *expers et mundus criminis* (4) Adiectiua tamen, quae proprietatem absolute significant, ut ad aliud ut cuius dependere non possit, licet dependentia ut quo sibi competat, tale regimen non admittunt. Ideo talis regula potest assignari: nomina nominibus uerbalibus in *-tor* et in *-trix* terminatis et participiis praesentis temporis nominis loco sumptis descenduntibus a transitivis uerbis similia in significandi modo genitiuum casum regunt, ex ui actus conuersi in habitum uel ui proprietatis per respectum ad aliud ut cuius est designatae, quod quidem ultimum similibus intellectis competit. (5) Priscianus libro 2^o minoris, sub dicto § *Verbalia quoque*, uersiculo *Similiter inops*, hanc regulam confirmans ait (18, 18): «Similiter *inops*, *praeceps*, Virgilius in 3^o (*Aen*. 4, 300):

"Saeuit inops animi",

idem in VIII (9, 685):

"Et praeceps animi amarus et Mauortius Aemon".

Similiter *cupidus, rapidus, avidus*, Virgilius in primo (*Aen.* 9, 661-62):
 "Ergo auidi pugnae dictis et munimine plebis
 Ascanium prohibet",
 fidus illius, Virgilius in IX (*Aen.* 12, 37-38):
 "Praeterea regina tui fidissima dextra
 Occidit ipsa sua".

(6) *Doctus grammaticae, prodigus animae*, Oratius in primo *Carminum* (1, 12, 37-38):
 "Regulum et Scauros animaeque magnae
 Prodigum Paulum".

Abundans illius rei nomen est, nam participium ablatiuo, quomodo et uerbum eius, iungitur, Virgilius in *Bucolicis* (2, 20):
 "Quam diues niuei pecoris, quam lactis abundans";
 Cicero (Cluent. 65, 184): "Mulier abundans audacia". Item *Pro Cornelio* II^o (2, fr. 9): "Quis tam abundans
 copiis?". (7) Similiter *patiens*, quando nomen est genitiuo sociatur, Lucanus in VI (9, 5):
 "Quam niger astriferis conuertitur auribus aer",
 et infra (9, 8):
 "Innocuos uita patientes aeteris unci";
 Virgilius primo *Georgicarum* (2, 223):
 "Patientem uomeris unci".

(8) Quando participium est, iungitur accusatiuo, sicut uerbum a quo uenit, *patior illam rem, patiens illam
 rem*. Virgilius in III^o *Aeneidos* (3, 628):
 "Aut inpune quid ne talia passus"
 amans illius;

Cicero (*Cael.* 14, 34): "Clarissimi ac fortissimi patriaeque amantissimi"; Salustius in *Catilinario* (5, 4):
 "Alieni appetens, sui profusus". Et attende quod uoce passiuo *profusus*, quia magis actum significat,
 genitiuo est coniunctum. (9) Similiter si dicam *doctus grammaticam* participium est, *doceor* enim *grammaticam*
 dicimus. Et necesse est, ut diximus, eundem casum quem uerba sequantur participia consequi: *doctus
 grammaticae* nomen est, *fugitans litium* nomen est, nam *fugitans lites* participium est. Dicimus enim *fugito
 lites, fugitans lites*. Terentius in *Phormione* (623):
 "Heres liberalis est et fugitans litium".

(10) Similiter *praefectus urbis* nomen est, *praefectus urbi* participium est, uerbum enim datiuo adiungitur:
praeficio tibi. Et postremo omnia quae similem habent significationem, in *-or* desinentibus uerbalibus
 transitiuus genitiuo solent adiungi, ut *dubius illius rei*, similiter *anceps illius rei, nescius, expers, doctus, peritus*.

(11) Similiter genitiuo adiunguntur omnia quae obtineri uel desiderari in aliquem ostendunt uel contraria
 his, et quae obtinerim quidem aliquid ostendunt, ut *diues, copiosus, opulentus, capax, tenax*, Virgilius in
 primo *Aeneidos* (1, 343-44):
 "Ditissimus agri
 Foenicum";
 idem in II^o *Georgicarum* (2, 468):
 "Diues opum uariarum",
 et quae desiderari aliquid ostendunt, ut *auarus illius rei, cupidus, auidus, studiosus*. (12) Contra uero aliquid
 deesse significantia: *egenus, indiga, inops, pauper, uacuum*, Oratius in 2^o *Sermonum* (1, 1, 79):
 "Ego semper optaui pauperrimus esse bonorum";
 Iuuenalis (5, 15, 23):
 "Sic uacuum cerebri populum Pheaca putauit".»

(13) *Doctrinale* in 8^o (8, 1.160-61):
 «Suntque regendo pares praedictis equiparantes
 Vt *cupidus ludi puer est timidusque flagelli*»,
 et glosatores ibi, praesertim Ioannis de Croccho.
 [4] 302. Verbalia in *-us* uel *-o* terminata a supino, addita *-s* uel mutata *-u* in *-io*, formantur, ut
uideo, -es, uidi, uisum, uisu, fit ab hoc supino postremo *uisu uisus* et *uisio*. Haec post se genitiuum et
 quandoque duos petunt, hoc est tam personae uel rei agentis quam patientis, ut *uisio mei multorum
 hominum, profectus dei omnium rerum*. Verbalia nanque in *-us* et *-io* terminata profecto actionem
 passionemque significare possunt. Haec Nicolaus Perottus in capitulo de nominibus tenet uerbalibus.

(2) *Accesus* tamen et *accessio* differunt secundum Laurentium libro 4^o, capitulo II: «Siquidem *accessus* est aditio atque apropinquatio; *accessio* autem adiectio atque incrementum. Hoc Nicolaus Perottus, carta 123 probat, sic inquit (fol. i8u.): «*Cedo* componitur cum *ad*, *accedo*, quod interdum significat aduenio, interdum appropinquo, interdum pro additur, ut *ad hoc accedit*, id est additur, unde *accessus* aliquando significat augmentum». (3) Sed in hoc postremo discrepat a Laurentio, qui in eodem capitulo II subiicit: «Quae differentia rara est in consimilibus nominibus. *Satus* enim et *satio* idem sunt, sed *sata* secundum Seruium primo *Georgicorum* sunt segetes et *agri sati*, de *satus*, -a, -um, quod est participium. (4) Item idem sunt *cultus* et *cultio*, *motus* et *motio*, *actus* et *actio*, eo quod dicimus *actionem causarum* non *actum*, et *actus comedarum*, non *actionem*, *cursus* et *curtio*, *abusus* et *abusio*». *Gestus* quoque et *gestio* parum differunt, nam *gestus* est actio quaedam et quasi pronuntiatio corporis, *gestio* uero administratio et actio, quamuis parum in usu est secundum Laurentium, quod intellige apud oratores et poetas, nam apud iure consultos secus est, qui hoc uerbo *gestio* saepenumero uti sunt, ut in titulo *De nego. ge. et de adm. Tu.* (D. 3, 5), et multis aliis in locis inuenies. (5) Laurentius uero in eodem capitulo 2^o subiicit: «Quia diximus in -us et in -io a supinis profecta fere eiusdem significationis esse, hoc exceptionis: addo quod ea quae positionem habent in -io, latius significare solent nec actionem modo, sed rem et corpus, ut *aratio*, *possessio*, *sessio*».

[5] 303. Verbalia a uerbis coniugationis primae positionem supini in -itum uel in -ctum facientibus uenientia, praeter ceterorum legem, in -atio non in -itio uel -ctio exeunt, ut *ueto*, *uetitum*, *uetatio*, non *uetitio*, *praesto*, *praestitum*, *praestatio*, non *praestitio*, *cubo*, *cubitum*, *cubatio*, *domo*, *domitum*, *domatio*, *sono*, *sonitum*, *sonatio*, *crepo*, *crepitum*, *crepatio*, *tono*, -itum, *tonatio*, licet *sonitus*, *crepitus tonitusque* dicatur, non *sonatus*, *crepatus*, *tonatus*, *frico*, *frictum*, *fricatio* et non *frictio*, et ita in ceteris, *sectio* tamen crebrius comperitur quam *secatio*. (2) Vnde Priscianus in IX dicit (9, 37): «Oratius in *Aepodo* (2, 51) *intonata* protulit secundum analogiam pro *intonita*». Idem dicit in XI ante finem addens (11, 34): «Virgilius tamen dixit (*Aen.* 4, 282): "Attonitus magno imperio monituque deorum",

sonaturus quoque pro *soniturus* Oratius in primo *Sermonum* protulit (1, 4, 43). Horum uerborum participia sunt dissimilia, nam quae praeteriti sunt temporis, in -itus exeunt, quae uero futuri, in -aturus: *uetitus*, *uetaturus*, *praestitus*, *praestaturus*, *domitus*, *domaturus*. (3) Similiter in ceteris est dicendum: *lauo* potaque uelut supina in -otum facientia, *lotio* potaque et *lotor* potaque reddunt, et *lotium* pro urina, prima tamen breui. Non nunquam *lauatum* *potatumque* legitur, unde *lauatio* et *potatio*, *lauatorque* et *potator*». (4) Priscianus enim in XI, ubi de participiis, quae contra regulam sunt, examinat, dicit hoc modo (11, 17): «Praeterea dubitatur utrum *potatu* *potaturus* et *potatus* secundum analogiam, an *potu*, *potus*, *poturum* per syncopam melius dicatur, quae in usu sunt. Nec mirum, cum *lautus* et *lauturus* pro *lauatus* et *lauaturus* in usu est. Nam secundum Terentium (*Eun.* 600) *lauatus* et *lauaturus* debet proferri. *Iuuo*, *iuui*, *iutum* facit. Ceterum ex alio supino *iuuatum*, *iuuatio*. Ex illo fit *iutor* seu potius *adiutor*». (5) Ex ceteris autem nomina uerbalia pauca lego, ut *domitor*, non *domator*, et *sector*, qui uenditorem bonorum exulis secundum antiquos emptorem significat, et *sectio* uenditionem talem emptionemque designat. Laurentius libro primo, capitulo 2^o, et Nicolaus Perottus, capitulo de nominibus uerbalibus (fol. i8u.) cum Prisciani adiumento in IX XIque confirmant.

[6] 304. Verbalia denominatiuaque in -bundus et -bulum desinentia a secunda uerbi persona, -s uel -iris amota, et ei, ut uel nominatiuo addita -bulum, ut *cuna*, *cunabulum*, *uenor*, -aris, *uenabulum* confinguntur. Et in his antepenultima producitur penultimaque corripitur.

[7] Deinde secundum 305 regulam uerbalia in -culum terminata a secunda persona uerbi unde proficiscuntur, -s uel -ris remota *culumque* adiecta formantur, ut *perio*, *peris*, -s remota et -culum addita fit *cenaculum*, *oraculum*, *periculum* aliqui dicunt, quod a *perio*, -is, -iui, *peritum*, quod est docere, et inde *peritus*, ueniat *periculum*. Et a prima persona praeteriti perfecti, mutata -u- consonante in -c- et addita -ulum, fiat formatio. (2) Vel secundum Priscianum in III^o (4, 14) a *perior*, *periris*, *peritus sum* uel *fui* fluit *periculum*. Et -a- et -i- secunda persona de *ceno*, -as, *oro*, *oras*, *perio*, *peris* uel penultima de *perui* uel *peritus* producitur. (3) Et itidem -a- et -i- in *cenaculum*, *oraculum* et *periculum*, ut in uersu illo (?):

«Felix quem faciunt aliena pericula cautum».

Et a *deuerto*, *deuertis*, *deuerticulum*, et a *diuerto*, -is, *diuerticulum*, et a *uero*, -is, *uericulum*, et *perpendo*, -is, *perpendicularum*, profecto in his, sicut in secunda persona de *deuerto*, *diuerto* et *uero*, *propendoque*, -is, -i- corripitur, sic et in *deuerticulum*, *diuerticulum* et *uericulum* et *perpendicularum*. (4) Ad 304 regulae confirmationem super nominibus uerbalibus in -bundus terminatis secundum Priscianum similitudinem habere significantibus idem Priscianus in 4^o annotetur dicens (4, 34): «Haec quidem in -dus supradictae formae nomina demonstratur ea habere in se, ex quibus deriuatur, ut *herbidus*, qui habet herbas, *turbidus*,

qui habet turbam, *timidus*, qui habet timorem, *rabidus*, qui habet rabiem, *inuidus*, qui habet inuidiam. (5) In *-bundus* uero desinentia similitudinem habere significant, ut *uitabundus*, similis uitanti, *praedabundus*, similis praedanti, *moribundus*, similes morienti, *errabundus*, similis erranti, *furibundus*, similis furenti. Et sunt paene omnia huiusmodi formae nomina uerbalia. *Rubicundus* excipitur, quod in penultima syllaba pro *-b -c-* habuit, ne sit absonum si *rubibundus* dicamus». (6) Haec *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De denominatiuis*, § *In -dus* et § *In -bundus*, confirmat, ubi quo ad antepenultima terminatorum in *-bundus* quantitatem, notes (3, 39): «Omnia huiuscemodi formae nomina uerbalia, si a uerbis primae coniugationis deriuantur, *-a-* habent longam antepenultimam, ut *causor*, *-aris*, *causabundus*, *uita*, *-as*, *uitabundus*. Si ab aliis, *-i-* corripitur, ut *ludo*, *-is*, *ludibundus*, *mori*, *-eris*, *moribundus*. Excipitur alternationis causa *rubicundus*, quod in penultima syllaba pro *-b -c-* habuit, ne sit absonum, si *rubibundus* dicamus». (7) Atqui pro quantitate *Doctrinale* facit in X^o (10, 1.975-78):

«A breuis in mediis datur ant *-b-*, syllaba testis,
Si *-bilis -a-* sequitur, ut *amabilis*, excipiatur.
Et *letabundus* formamque parem sociamus.
Quae facies in *-ulum* signes».

Et infra (10, 2.053-54):

«Ante *-b-* sit breuis *-i-*, sed compositiua notabis,
Quae dat quarta, solent uariari *possibilisque*».

(8) Itaque secundum *Doctrinale* antepenultima terminatorum in *-bundus* a uerbis quartae declinationis profectorum corripitur et produci potest, licet eo quod a secunda persona uerbi *-s* remota et addita *-bundus* formentur, et *-i-* ipsius secundae personae producatur semper, et in formatis abinde semper producenda foret. (9) Enimuero *Catholicon* considerans consonae mutationem ipsam antepenultimam breuiandam scripsit, *Doctrinale* pensans propriam naturam eius *-i-* in fine secundae personae praedictae collocatae mutationemque consonae cecinit uariari posse, et hanc uariationem tenendam puto.

[8] 306. Quamquam uerbalia in *-bundus* desinentia similitudinem habere significant secundum Priscianum in 4^o (4, 35) sequentem Scaurum grammaticum uel nobilissimum, qui contra Casellium dicit *ludibundus* esse qui ludentem agit ac simulat, et Seruius Prisciani opinionem tenet scribens cum alibi tum X^o *Aeneidos* (*Aen.* 10, 341): «*Moribunda*, morienti similis». (2) Casellius tamen iureconsultus in antiquarum lectionum scribit commentario: «*Ludibundus*, *errabundus*, *ridibundus* idem est quod *ludens*, *errans*, *ridens*». Quocum A. Gellius (11, 15, 8) contra Scaurum conuenit, ut per haec nomina non simulationem sed uehementiam uelit intelligi, et hoc Apollinarius philosophus amplectitur. (3) Quorum sententiam Laurentius Vallensis libro primo, capitulo XI^o, scilicet de adiectiuis in *-bundus* uerbiore putat, cum frequentissime accipiatur *populabundus populans*, *errabundus errans*. Sed quandoque, Gellii sententia, notat uehementiam, quae pro frequentia capiatur, ut haec uerbalia idem significant, quod frequentatiuorum participia, ut *lisitans*, *risitans*, *erratitans*, *lectitans*, *populatitans*, si reperirentur. Quod si non fiat, ad haec in *-bundus* terminata decurrendum est. Et de hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro primo, capitulo XI^o, plenius exaratur.

[9] 307. Tametsi penultima omnium denominatiuorum in *-bulum* desinentium facile breuiantur, tamen antepenultima producitur si *-a-* ante *-bulum* habeant, ut *cunabulum*, *uenabulum*, *uocabulum*, *conciliabulum*, excipitur *stabulum* quod, ut *stabulo*, *-as*, corripit. Antepenultima uero corripitur si *-i-* collocetur, ut *prostibulum*, *turibulum*, *uestibulum*. (2) Priscianus enim dicit in IIII^o (4, 13): «Et attendendum quod penultima in omnibus denominatiuis in *-bulum* terminatis corripitur. Antepenultima uero si *-i-* habeat corripitur, ut *uestibulum*, *turibulum*, *prostibulum*. Sin uero *-a-*, producitur, ut *cunabulum*, *uocabulum*, *conciliabulum*. Excipitur *stabulum*, quod corripit *-a-*, nec mirum cum uerbum quoque *stabulo*, *-as* eandem corripit syllabam. (3) Et *stabilis* et *status* et quaecumque a uerbo *sto*, *stas* nomina deriuata fuerint. Excipitur *stamen* et *statura*, quod tam nomen quam participium est, Lucanus in VI^o (6, 777):

"Laxant rumpentes stamina parcas",

idem in III^o (2, 718-19):

"Vanaque percussit Pontum Symplegas inanem
et statura redit".

Staturus quoque et *staturum* producuntur, quamuis *status*, *stata*, *statum* corripunt. Idem in X^o (10, 239-40):

"Zephiros quoque uana uetustas
His ascripsit aliquis quorum stata tempora flatus".»

(4) Idem Priscianus in 9^o, post medium, ubi de supinis primae coniugationis docet, dicit (9, 38): «*Steti* uero *statum* supinum penultima producta debet facere, unde Lucanus in 2^o (2, 17):

"Constatura fides superum",

cum *datum* et *datus*, sicut superius ostendimus, corripiat -a- penultimam. (5) Est tamen in hoc quoque notandum quod nomina ab eo deriuata -a- penultimam corripiunt uel antepenultimam, ut *status*, *stata*, *statum*, *stabilis*, Lucanus in X^o (10, 240):

"Quorum stata tempora flatus".».

(6) Petrus Heliae in XV, columna IIII^a, dicit (Reilly 290): «Omnia quaecumque deriuantur a uerbo *sto*, *stas*, corripiunt -a-, excepto *staturus*, -ra, -rum et *stamen*, de *statim*». (7) Vnde Priscianus in X^o, carta 7^a, ubi de supinis de *do* subdit (10, 27): «In omni supino siue participio praeteriti producitur -a- penultima, exceptis *datum*, *statum*, *satum*, *ratum*». (8) Eundem in eodem, carta 9^a, uide et *Doctrinale* in X^o (10, 1.645-48):

«Longa supina dabis dissyllaba, sed breuius
Qui, ci, si, sa, li, i, da, ra, ru, sta, deque supinis
Orta sequuntur ea, *staturus* sit tamen extra,
Nec patrem sequitur *ambitus* si moueatur».

Idem in eodem (10, 1.760):

«Platos cum *statim* uaries»,

et Aegidius, capitulo XIX et XXV, praedicta confirmat. (9) Confirmatio uero 305 regulae a Prisciano fit in IIII^o (4, 14): «Inueniuntur etiam quaedam in -*culum* desinentia, quae a secunda deriuantur uerborum persona, ut *deuertis*, *deuerticulum*, *uerris*, *uerriculum*, *perior*, *periri*, *perui*, *peritus*, *periculum*, *oras*, *oraculum*, *perpendis*, *perpendiculum*».

[10] 308. Verbalia in -*mentum* terminata profecto antepenultimam productam uel correptam habent, prout sunt syllabae praeteriti temporis penultimae uerborum eorum ex quibus oriuntur, ut *sacro*, *sacraui*, *sacratum*, *sacramentum*, *increui*, *incretus*, *incrementum*, *decreui*, *decretus*, *decrementum*, *muniui*, *munitum*, *munimentum*, *fulcui*, *fulcimentum*, *docui*, *documentum*, *monui*, *monimentum* et *monumentum*, nam utrunque a *moneo*, -es, *monui* dicitur. (2) Nanque *monimentum* et *monimen* a *moneo* sunt id per quod aliquid monemur, nobisque reducitur ad memoriam, unde *historiae monimenta* dicuntur, nam praeterita nos monent ad memoriamque reducunt, amorisque indicia, quae in amoris signum nobis et memoriae relinquuntur, *monimenta* nuncupantur. Et per ethimologiam quasi monens mentem dicitur *monimentum*. (3) *Monumentum* quidem a *moneo* quoque dictum mortuorum est sepulchrum, quia per transeuntium mentes moneat ad hoc transire debere uel quia mentes ad defuncti memoriam moueat uel ad contemptum sui, uel dicitur eo quod mentem moneat, id est admoneat mentes ad sanctorum ibi sepulcorum uenerationem, quippe secundum Remigium dum nos consideramus sanctorum monumenta, qui sua corpora pro Christo tradiderunt, monemur illis uenerationem impendere. (4) Haec ex *Catholicon Compraensoriae* desumpsi. Seruius tamen III^o dicit *Aeneidos* (3, 486):

«Monumentum accipe et haec manuum tibi quae monimenta
mearum sunt, puer».

Monumentum uero secundum Festum Pompeium (115) est id «Quod mortui causa aedificatum est et quicquid ob memoriam alicuius factum est, ut fana, porticus, scripta et carmina. Sed monumentum quamuis mortui causa sit factum, non tamen significat ibi sepultum. (5) Nonius conformis ait (32): «*Monumenti* proprietate a *monenda*, M. Tullius (*Ep.* 2, 7): "Exprimendo putauit recte dici ad Caesarem in epistola, sed ego, quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoueor, ad memoriam magis spectare debere posteritatis quam ad praesentis temporis gratiam. Virgilius libro V^o (*Aen.* 5, 571-72):

"Quem candida Dido

Esse dedisset ei monumentum et pignus amoris".

Monumenta et templa dici posse, Tullio auctore *In Verrem*, actione II (2, 1, 129): "Ausum esse in aede Castoris celeberrimo clarissimoque monumentum positum est". (6) Seruius adiicit: «Monumenta historiae, Virgilius III^o *Aeneidos* (3, 102):

"Tunc genitor uoluens ueterum monumenta uirorum».

Varro praedicta confirmans ait (*Ling. Lat.* 6, 49): «Monumenta dicta ab eo quod scripta et facta memoriae causa». (7) Laurentius et ego, libro IIII^o, capitulo 75, scilicet de *munimenta* et *monumenta* dicimus: «*Munimenta* sunt munitiones castrorum ceterarumque rerum quae contra aduentu hostium muniuntur, siue ualla et fossa siue aliud ab hostium, ut dixi, aduentu, muniti. *Monumenta*, -i- mutata in -

u-, sepulchra, statuae, tituli, libri ceteraque quae nos alicui rei praeteritae moneant, nam de futuro, ut quidam uoluit, ideo sepulchra appellari monumenta, quod nos nostrae ipsorum mortis admoneant, falsum est, in honorem enim mortui illa tantummodo fiunt, non in publicam praeceptionem iuxta monumenta sepulchrum quasi monumentum erit. Liuius 47 (38, 56, 3): "Vtrobique monumenta ostenduntur et statuae".»

[11] 309. Deriuatiua in *-monium* desinentia, *-i* praeunte correpta, sed antepenultima longa reperimus, ut *patri, patrimonium, matri, matrimonium, testi, testimonium, uas, uadis, uadi* et inde *uadium* et *uadimonium*. *Vas* autem *uadis* generis masculini ueniens a *uado*, *-is* est pignus uel fideiussor, quippe dato *uade* licet abire, et corripit penultimam, quamuis *uado* producat, sed *uas, uasis* generis neutri tertiaeque declinationis, sed in plurali secundae, producit primam. (2) *Vadium* uero *uadimonium*que a *uas, uadis*, pignus fideiussionemque significant, et inde *uadio, -as, -a* in *uadio* ponere, *conuadio, inuadio, obuadio* contra alium uadiare, *reuadio* repignorare, *auadio* recolligere, *subuadio* post uel latenter uadiare, et cum omnibus suis compositis est actiuum.

[12] 310. Omnia in *-en* terminata, *-m-* antecedente, uerbalia sunt et neutra, *flamen* excipio, cum Iouis sacerdotem significet, quod a *filo* quasi *filamen* dicitur, quia reliquias a collo per fila pendentes portaret. Vel dicitur a *filo*, nam quicumque sacerdos erat, in sacerdotii signum almucium deferere, sed ingruente calore, cum ex eius molestia hoc deferre non posset, sibi filo quodam capillos religabat uel flosculum lanae filo ligatum in uertice deportabat, et generis masculini est. Item a *flo, flas* hoc *flamen, -inis* deriuari potest, id est flatus, et hinc *flamineus, -a, -um* secundum *Catholicon Compraesorium*que.

[13] 311. Omnia praedicta uerbalia *-m-* praeunte in *-en* desinentia, si a prima coniugatione sint, *-a-* penultimam longam tenent, ut *flo, flas, flamen*, neutri generis, quod et de *flamen* generis masculini dici potest, licet a *filo* dicatur. Sin autem a secunda uel tertia coniugatione ueniant, sibi correptam *-i* uendicant, ut *moneo, -es, monimen, rego, regis, regimen, tego, tegis, tegimen*, et per concisionem *tegmen*. (2) Quod si *-u-* ante *-men* habeant, penultimam corripiunt, saltem quae penultimam praeteriti breuiarint, ut *doceo, -es, docui, documen*, ut de *documentum* dixi. Vide *Catholicon* in *documen*, et quod in meo ibi scripsi. Sed *-u-* producta habent si uerbum in *-uo* desinat, ut *acuo, acumen, fluo, flumen, nuo, numen*. A uerbis uero quartae coniugationis profecta *-i-* productam possident, ut *munio, munimen, lenio, lenimen, molior, molimen, fulcio, fulcimen*. (3) Has quattuor posteriores regulas Priscianus III^o maioris confirmat hoc modo (4, 14): «Alia uero in *-mentum* desinunt, quae plerumque a uerbis ueniunt, ut *uestio, -is, uestimentum, hortor, hortaris, hortamentum, moneo, -es, monimentum*. Et sciendum quod antepenultimam productam habent uel correptam, prout sunt penultimae syllabae praeteriti temporis eorum uerborum, ex quibus deriuantur, ut *ornauit* uel *ornatus, ornamentum, muniuit, munitus, munimentum, fulciuit, fulcimentum*. (4) In *-monium* etiam inueniuntur deriuatiua, *-i-* correpta antecedente, paene omnia uerbalia sunt et neutra. Et si sunt a prima coniugatione, *-a-* longam habent penultimam, ut *solor, solaris, solamen*, et cetera. Sin autem a secunda uel tertia, *-i-* habent correptam, ut *moneo, -es, monimen, rego, regis, regimen, tego, tegis, tegimen*, et per concisionem *tegmen*. (5) Vel *-u-* productam si in *-uo* desinit uerbum, ut *acuo, acumen, fluo, flumen, nuo, numen, nuo* enim est dei nutus. A uerbis uero quartae uenientia *-i-* productam habent, ut *munio, munimen, lenio, lenimen, molior, molimen*. Pauca inueniuntur in *-en* desinentia generis masculini, ut a *pectendo, pecten*, a *filo, filamen*, quod per syncopam *-i-* *flamen* dicimus». (6) Et haec a *Doctrinali* in X^o, in suis locis confirmantur, *documen, documentum monumentum*que excipio, quae secundum *Doctrinalis* regulam, cum *-u-* ante *-m-* in mediis syllabis habeant, *-u-* ante *-men* uel *-mentum* deberent producere, nam *Doctrinale* dicit (10, 2.179-81):

«V dabimus super *-m-* longam tibi, sicut *alumen*

Incolumis, contumax, demis et *autumo* iunge,

Et *columen*»,

(7) Nisi dixeris per *columen* illa intelligi, nam *columen* cum a *colo, -is, -ui* ueniat, quo alacritatem fortitudinemque significat, secundum Prisciani regulam praelibatam penultimam corripit, *Catholicon*que confirmat. Vnde Homerus (*Hom. Latinus* u. 529):

«Hic patriae columen pugnat Mauortius Hector».

Et idem de *documen, documentum* et *monumentum* est dicendum, nam et penultima praeteriti perfecti de *doceo, docui* et *moneo, monui* breuiatur. (8) Vnde *Catholicon* inquit: «*Documen* penultimam corripit, inde *documentum*, id est doctrina». Ideo in *Doctrinalis* habetur prohemia (pr. 27):

«Inde leget maius mea qui documenta sequetur»,

et in *Aurora*:

«Discipulos quorum nos documenta tegunt»;

et Statius in XI (*Theb.* 11, 657):

«Haerebunt documenta nouis iuuat ecce nefasto
Stare loco»;

(9) Item et Ovidius primo *Metamorphoseos* (1, 415):

«Et documenta damus, qua simul origine nati».

Vnde in Aegidii additionibus repperi: «*Documen* et *documentum* corripuiunt -u- ante -m-, inde
"Leget maius mea documenta sequetur";

et in *Contemptu*

"Accipe scriptorum frater documenta meorum".»

(10) *Columis* uero a *columno* dicitur, *hic* et *haec columis* et *hoc colume*, id est sanus et alacer, quia erectus et firmissimus est, ut *columna*, et corripit -lu- et inde *incolumis*, ubi -in- non priuatium sed intentatium et augmentatium est, quasi ualde erectus, fortis stabilis, alacer. Et comparatur, inde *haec incolumitas*, -atis, id est sanitas, alacritudo. *Catholicon* At secundum Aegidium est uita ac integra salutis conseruatio. Per *incolumis* autem manumissus intelligitur. Alexander VIII^o:

«Principis exemplo manumissos credo per ignem».